ORIENTALIA CHRISTIANA

VOL. XIV, N° 50

# DOCTRINA THEOLOGIAE ORIENTIS SEPARATI DE SS. EUCHARISTIA

ORIENTALIA CHRISTIANA
Vol. XIV. — 1.

Num. 50.
Ianuario 1929

P. THEOPHILUS SPÁČIL S. I.

PROFESSOR THEOL. DOGM. COMPAR.
IN PONT. INSTITUTO ORIENTALIUM STUDIORUM

# DOCTRINA THEOLOGIAE ORIENTIS SEPARATI

# DE SS. EUCHARISTIA

## II.

## QUAESTIONES DE FORMA EUCHARISTIAE - DE PANE EUCHARISTICO - DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE ET DE COMMUNIONE PARVULORUM

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library




PONT. INSTITUTUM ORIENTALIUM STUDIORUM
PIAZZA SANTA MARIA MAGGIORE, 7
ROMA 128

31357

CHRISTI VICARIO

BEATISSIMO PATRI ET DOMINO

# PIO PAPAE XI

PETRI SUCCESSORI

RERUM ORIENTALIUM STUDIA TOTO ORBE PROMOVENTI

PATIENTESQUE IN ORIENTE HOMINES

EXIMIA DILECTIONE AMPLECTENTI

## QUINQUAGESIMUM

POST SACRAM ORDINATIONEM ANNUM CELEBRANTI

PONT. INSTITUTUM ORIENTALIUM STUDIORUM

ET

« ORIENTALIA CHRISTIANA »

FILIALI CORDIS AFFECTU

VOCE LITURGIARUM ORIENTALIUM EXOPTANT

DEUS ILLUM SANCTIS SUIS ECCLESIIS CONSERVET

ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΣΩΟΝ, ΕΝΤΙΜΟΝ, ΥΓΙΑ, ΜΑΚΡΟΗΜΕΡΕΥΟΝΤΑ,

ΟΡΘΟΤΟΜΟΥΝΤΑ ΤΟΝ ΛΟΓΟΝ ΤΗΣ ΑΛΗΘΕΙΑΣ

ΕΙΣ ΠΟΛΛΑ ΕΤΗ

МНОГАЯ ЛѢТА

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/desseucharista0014vari

# LITTERAE EMINENTISSIMI CARDINALIS PETRI GASPARRI

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

—

Dal Vaticano, die 25 mensis Novembris 1928

N° 75217

*Ill.me ac Rev.me Domine,*

Illud opus nuperrime editum ex iis, quae « Orientalia Christiana » inscribuntur, Augusto Pontifici exhibitum, laeto libentique animo Ipse accepit.

Optime profecto nosti, quanto Sanctitas Sua in pretio habeat praeclara illa volumina, quae res orientales attingunt et quantopere cupiat ea ubique perlegi et quam latissime cognosci. Siquidem haud ita pridem, ut alia praetermittam, Suis Litteris « Rerum Orientalium » magnum eorum pondus de iisdemque Suam aestimationem aperte declaravit.

Quod autem Beatissimus Pater peculiari quodam modo per hanc epistolam laudat, est ratio illa fortiter atque suaviter scribendi, qua, cum catholica doctrina strenue defendatur, caritas omnino ser-

*Ill.mo ac Rev.mo Domino*

MICHAELI D'HERBIGNY

*Episcopo Tit. Iliensi*

vatur, sine qua nulla animorum conciliatio comparari licet.

Nec parvam quidem Pontifici Summo iucunditatem attulit favor ille in dies accrescens, quo memorata scripta ab eruditis viris cuiusque religionis vel nationis accepta sunt. Pergant igitur omnes scriptores humanas divinasque disciplinas sollerter excolere; pergant de fide deque scientiarum incremento egregie mereri. Vires autem animumque illis addat Apostolica Benedictio, quam Augustus Pontifex in auspicium caelestium donorum et in singularis benevolentiae Suae argumentum Amplitudini Tuae singulisque scriptoribus peramanter in Domino impertit.

Ego vero libenter occasione utor sensus existimationis maximae erga te meae profitendi, quibus sum ac permanere gaudeo

Amplitudini Tuae
Addictissimus

Petrus Card. Gasparri.

## B. — QUAESTIO DE FORMA EUCHARISTIAE.

95. — Vidimus in priore parte huius tractatus (1) theologos recentes Orientis separati supplicationem eam, quae *epiclesis* vocatur, liturgiae omnino *necessariam et essentialem* considerare, et consecrationem aut ea dumtaxat prolata aut simpliciter per eam fieri docere.

Cum hic de *principali differentia* doctrinae orthodoxorum a doctrina catholica circa sacramentum ss. Eucharistiae agatur, utraque doctrina accuratius exponenda est et veritas catholica diligentius vindicanda.

### § 1. — Notio et diversae divisiones epicleseos (2).

96. — *Vocatur* **epiclesis** (ἐπίκλησις = *invocatio*) **eucharistica** *proprio et strictissimo sensu* ea oratio in s. missae liturgia, qua, post prolata iam verba institutionis Eucharistiae (« Hoc est

(1) *Doctrina theologiae Orientis separati de SS. Eucharistia.* — I. *Bibliographia. Doctrina theologiae Orientis separati in genere.* (Orientalia Christiana. N. 48 [Vol. XIII. — 3]) n. 65. — Quotiescunque in praesenti fasciculo ad numerum praecedentem tractatus remittitur, intelligatur pro numeris 1-94 prior pars tractatus (*Orientalia Christiana*, N. 48) pro numeris 95 ss. autem fasciculus praesens.

(2) *Documenta liturgica in praesenti quaestione citanda:* I. A. Assemani, *Codex liturgicus Ecclesiae universae.* 13 vol. Parisiis et Lipsiae 1902. — F. E. Brightman, *Liturgies Eastern and Western.* Vol. I. *Eastern Liturgies.* Oxford 1896. — P. Cagin, *Le sacramentaire gélasien d'Angoulême.* Angoulême 1919. — F. C. Conybeare-A. I. Maclean, *Rituale Armenorum.* Oxford 1905. — H. Daniel, *Codex liturgicus Ecclesiae universae* IV. Lipsiae 1853. — H. Denzinger, *Ritus Orientalium, Coptorum, Syrorum et Armenorum in administrandis sacramentis,* 2 vol. Wirceburgi 1863, 1864. — L. C. Feltoe, *Sacramentarium Leonianum.* Cambridge 1896. — M. Férotin, *Le Liber mozarabicus sacramentorum.* Paris 1912. — M. Férotin, *Le Liber ordinum en usage dans l'Eglise visigothe et mozarabe d'Espagne du V^e^ au XI^e^ siècle.* Paris 1904. — F. X. Funk, *Didascalia et Constitutiones apostolorum,* 2 vol. (Euchologion Serapionis: II, 185 ss.). Paderbornae 1905. — F. X. Funk, *Die apo-*

corpus meum etc. »), Deus Pater petitur, ut *Spiritum Sanctum supra dona sacra mittat, qui ea in corpus et sanguinem Christi transmutando* (1) efficiat, ut corpus et sanguis Christi effectus salutares in percipientibus producant.

97. — *Ad exemplum* adducantur tales invocationes *ex Liturgia* CONSTIT. APOSTOLICARUM et ex *Liturgia byzantina* s. IOANNIS CHRYSOSTOMI. — « Ἀξιοῦμέν σε, ὅπως . . . καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, τὸν μάρτυρα τῶν παθημάτων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου· ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ βεβαιωθῶσιν πρὸς εὐσέβειαν, ἀφέσεως ἁμαρτημάτων τύχωσιν, τοῦ διαβόλου καὶ τῆς πλάνης ῥυσθῶσιν, πνεύματος ἁγίου πληρωθῶσιν, ἄξιοι τοῦ Χριστοῦ σου γίνωνται, ζωῆς αἰωνίου τύχωσιν, σοῦ καταλλαγέντος αὐτοῖς, δέσποτα παντοκράτωρ » (2). — « Παρακα-

*stolischen Väter*[2]. (Didache: 1 ss.) Tübingen 1906. — I. GOAR, *Εὐχολόγιον sive Rituale Graecorum*[2]. Venetiis 1730. — E. HAULER, *Didascaliae apostolorum fragmenta Veronensia latina*. Lipsiae 1900. — IOAKIM, *(Moscoviensis)* Чиновникъ. Moskva 1677. — I. MABILLON, *De liturgia gallicana ll. III*. Parisiis 1729. — M. MAGISTRETTI, *Monumenta veteris liturgiae Ambrosianae*. I. Mediolani 1897. — E. MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus*. 3 vol. Antuerpiae 1763-64. — A. MALTZEW, *Liturgikon* (Служебникъ). Berlin 1902. — A. MALTZEW, *Die göttlichen Liturgieen unserer heil. Väter Iohannes Chrysostomos, Basilios des Grossen und Gregorios Dialogos*. Berlin 1890. — *Missale Ambrosianum*. Mediolani 1913. — *Missale Francorum*. (Ml 72, 317 ss.). — *Missale Gallicanum vetus* (Ml 72, 339 ss.). — *Missale Gothicum* (Ml 72, 225 ss.). — *Missale Mixtum* (Mozarabicum. Ml 85). — *Missale Romanum*. Turonibus 1925. — P. MOGILAS, Λειτουργιάριον сіе есть Служебникъ. Kijev 1629. — F. I. MONE. *Lateinische und griechische Messen aus dem 2 bis 6 Jahrhundert*. Frankfurt a. M. 1850. (Ml 138, 863 ss.). — L. A. MURATORI, *Liturgia Romana vetus*, 2 vol. Venetiis 1748. — IAC. PAMELIUS, *Liturgicon Latinorum*. Coloniae 1571. — *Pontificale Romanum*. Ratisbonae 1891. — IGN. E. RAHMANI, *Testamentum D. N. I. Christi*. Moguntiae 1899. — M. RAJEVSKY, *Euchologion der orth.-kath. Kirche aus dem Griechischen übertragen*. 2 vol. Wien 1861, 62. — E. RENAUDOT, *Liturgiarum orientalium collectio*[2], 2 vol. Francoforti a. M. 1847. — *Rituale Romanum*. Romae 1925. — SERAPION NOVGORODSKY, Служебникъ. Novgorod 1602. — C. A. SWAINSON, *The Greek Liturgies*. London 1884. — G. WOBBERMIN, *Altchristliche liturgische Stücke aus der Kirche Ägyptens*. (Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Litteratur. Neue Folge, II Band, 3b). Leipzig 1898.

Cetera documenta, libros, articulos notata videas in Bibliographia initio prioris partis tractatus (*Orientalia Christiana*, N. 48, pp. 190 ss.).

(1) Ita saltem sensus obvius illius orationis. Plura de sensu dicentur inferius, ubi de origine et significatione epicleseos agetur.

(2) *Constit. apost.* l. VIII, c. 12, n. 39 (F. X. FUNK, *Didascalia* I, 510).

λοῦμέν σε καὶ δεόμεθα καὶ ἱκετεύομεν, κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου (Diac.: Ἀμήν), τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου (D.: Ἀμήν), μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ (D.: ter Ἀμήν), ὥστε γίνεσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νῆψιν ψυχῆς, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς κοινωνίαν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, εἰς βασιλείας οὐρανῶν πλήρωμα, εἰς παῤῥησίαν τὴν πρὸς σέ, μὴ εἰς κρίμα ἢ εἰς κατάκριμα· » (1).

98. — Diximus autem: EPICLESIS PROPRIO ET STRICTISSIMO SENSU. Dantur enim in liturgiis ἐπικλήσεις seu invocationes tales, quae non *ad Patrem* diriguntur, ut Spiritum mittat, sed aliquando *ad Verbum seu Filium*, aliquando *ad totam Trinitatem*, aliquando ad Patrem quidem, sed ut *mittat Filium*. Deinde in compluribus huiusmodi orationibus liturgicis *non petitur transmutatio* donorum seu consecratio, sed aut solum supplicatio fit ut corpus et sanguis Christi percipientibus ea ad salutem proficiant, aut petitur benedictio vel acceptatio donorum (2). Tandem inveniuntur in s. liturgiis species quaedam epicleseos vel orationes valde similes tum *ante verba institutionis*, post « Sanctus », vel iam ante Praefationem et in *ipso Offertorio*, tum post « *Pater noster* », in ipsa demum *fractione*.

99. — *Exempla* invocationis *Filii* vel *Verbi* inveniuntur in liturgiis Copticis s. BASILII et S. GREGORII (3) aliisque antiquis (4). *Trinitas* invocatur in liturgia descripta in TESTAMENTO D. N. I. CHRISTI (5). *Missio Filii* petitur in ANAPHORA SERAPIONIS (6) et in *missa* quadam *praesanctificatiorum* ritus Iacobitici (7). Sunt qui affirment in antiquioribus liturgiis omnibus aut *Verbum* fuisse invocatum aut *missionem Filii* expetitam, et epiclesim a Patre missionem Spiritus Sancti postulantem postea introductam esse (8). Sed vetustissimae quae

(1) BRIGHTMAN I, 386, 387. — Alia exempla vide apud CIEPLAK 7 ss.; DE LA TAILLE 438; LISOWSKI 200 ss.; MARKOVIĆ 181 ss.

(2) Quae utrum significent transmutationem seu consecrationem, postea videndum est.

(3) RENAUDOT I, 15; 31; 105.

(4) Cf. SCHERMANN, *Abendmahlsliturgien* 76.

(5) RAHMANI 43.

(6) Apud FUNK, *Didascalia* II, 174.

(7) Apud *Journal of Theological Studies* IV, 75. (Citatur apud M. de LA TAILLE, *Mysterium fidei* 447).

(8) Ita BUCHWALD, *Die Epiklese* 12 ss. — Cf. *Revue augustinienne* 1909, 308.

cognoscitur nunc, liturgiae fragmentum apud Deir Balyzeh inventum epiclesim Patris, qui Spiritum mittat, habet (1). Certum tamen est in compluribus antiquis liturgiis Verbum invocari vel missionem Filii postulari.

100. — *Exemplum* invocationis, in qua *nulla est mentio de transmutatione* donorum, invenitur in *liturgia Syriaca* descripta in Test. D. N. I. Christi: « Offerimus tibi hanc gratiarum actionem, aeterna Trinitas, Domine Iesu Christe... Domine Spiritus Sancte, adfer potum hunc et escam hanc sanctitatis tuae, fac ut nobis sint non in iudicium, neque in ignominiam, vel in perditionem, sed in sanationem et in robur spiritus nostri » (2). Item nullam transmutationem petit epiclesis *liturgiae* Didascaliae apostolorum cuius fragmenta ab E. Hauler edita sunt. « Et petimus, ut mittas spiritum tuum sanctum in oblationem sanctae ecclesiae: in unum congregans de omnibus, qui percipiunt, sanctis in repletionem spiritus sancti ad confirmationem fidei in veritate, ut te laudemus et glorificemus, per puerum Iesum Christum, per quem tibi gloria et honor, patri et filio cum sancto spiritu, in sancta ecclesia tua et nunc et in saecula saeculorum. Amen » (3).

101. — Quod *locum epicleseos* vel similis supplicationis in Canone attinet, invenitur *epiclesis vera ante verba institutionis* (« Hoc est corpus meum etc. ») in Fragmento liturgiae apud Deir Balyzeh inventae et modo commemoratae. « Πλήρωσον καὶ ἡμᾶς τῆς παρά σοι δόξης καὶ καταξίωσον καταπέμψαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιόν σου ἐπὶ τὰ κτίσματα ταῦτα καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον σῶμα τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ δὲ ποτήριον αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης » (4). Cum liturgiae huius solum fragmenta habeantur, determinari cum absoluta certitudine non potest, utrum post recitationem coenae dominicae alia epiclesis secuta sit necne (5).

(1) De quo fragmento saepius adhuc adducendo vide Lisowski 105 ss.; Salaville, *Echos d'Orient* XII, 329 ss.; de Puniet, *Ibid.* XIII, 72 ss.; et *Revue bénédictine* XXVI, 34 ss.

(2) Rahmani l. c.

(3) E. Hauler, *Didascalia* 107. — Alia exempla vide apud I. Brinktrine, *Zur Enstehung* etc. 493.

(4) P. de Puniet, *Le nouveau Papyrus* etc. (*Revue bénédictine* l. c., 45); S. Salaville, *Le nouveau fragment* etc. (*Echos d'Orient* l. c., 330).

(5) Controversiam de hac re v. praecise in articulis P. de Puniet et S. Salaville modo citatis.

Certum est autem complures *liturgias Aegypti*, quae epiclesim post verba dominica continent, habere iam ante recitationem historiae ultimae coenae invocationem vel *epiclesim abbreviatam*. Ita in *Liturgia Alexandrina* s. Marci ante verba institutionis prolata petitur: « Πλήρωσον ὁ θεὸς καὶ ταύτην τὴν θυσίαν τῆς παρὰ σοῦ εὐλογίας διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου σου πνεύματος » (1). Similiter duplex epiclesis talis habetur in *Liturgia Copta* s. Cyrilli (2), in *Liturgia Copta* s. Basilii (3), in ipsa antiquissima *Liturgia* Euchologii Serapionis de Thmuis (4). Clara est praesertim epiclesis « anteconsecratoria » (5) in sic dicta *Liturgia* Gregorii Nazianzeni (6). In nestoriana autem *Liturgia* « *Beatorum apostolorum a* S. Adaeo et S. Mari » invocatio Spiritus Sancti *solum ante recitationem* de ultima coena invenitur (7).

Sed non solum immediate ante narrationem de ultima coena et pronuntiationem verborum Domini, sed iam prius, in *ipso offertorio*, inveniuntur preces epiclesi valde similes in diversis liturgiis (8). Viceversa occurrere aliquando similes invocationes adhuc post epiclesim « postconsecratoriam », in ipsa demum fractione, exemplis ostendit Hoppe (9).

102. — Ex quibus omnibus, quae de loco epicleseos in Canone diximus, non quidem videtur adhuc legitime concludi

(1) Renaudot I, 139.

(2) Renaudot I, 45.

(3) Renaudot I, 3.

(4) Funk, *Didascalia* II, 175, 177.

(5) Epiclesim ante verba institutionis positam « anteconsecratoriam » vocamus, quin iam methodice illud ut certum affirmare velimus, quod decursu tractatus probandum est, scilicet consecrationem eucharisticam fieri per verba dominica.

(6) *Oriens christianus* I, 204 ss.

(7) Renaudot II, 599 ss.

(8) Exempla ex liturgiis byzantinis v. apud Baumstark, *Le liturgie*, 22; ex liturgiis occidentalibus apud Hoppe, 270 ss. Cf. Lisowski, 266.

(9) O. c., 273 ss. Cf. Lisowski, 313. — Cum aliqui auctores hucusque enumeratas species supplicationum omnes « epicleses » vocent, alii autem solum formalem postulationem mutationis donorum per Spiritum Sanctum ita appellent, nos, ut aliquam fixam terminologiam habeamus, vocabimus in tractatu nostro epiclesim stricto sensu eam orationem, quae, stando saltem magis obvio sensu verborum, consecrationem eucharisticam expetit, quaecumque sit persona divina, ad quam dirigitur; eamque appellamus formalem, si verbis explicitis hoc petit, aequipollentem, si aliquo modo implicite. Si aliquando epicleseos vocabulum latiore sensu sumetur, hoc explicite notabitur.

posse epiclesim initio in liturgiis ante narrationem de ultima coena et ante verba dominica fuisse et deinde post illa esse positam (1). Sed consideratis omnibus, quae de persona invocata, de orationis huius obiecto seu re quae petitur, de loco quem orationes tales in ordine liturgiae occupant diximus, certo iam concludere licet: **improbabile esse ut oratio huiusmodi sit ea, qua ex voluntate Christi sacramentum Eucharistiae perficiatur,** seu ut sit forma Eucharistiae.

Antequam tamen quaestio haec solvatur, proponenda est de hac re *doctrina catholica*, necnon *separatorum opinio* adhuc pressius determinanda.

## § 2. — De forma SS. Eucharistiae doctrina catholica.

103. — *Nulla* adest *solemnis et explicita definitio Ecclesiae* catholicae de forma Eucharistiae. Sed sacramentum **verbis a Christo** in ultima coena **prolatis**: « Hoc est corpus etc. », « Hic est calix etc. » confici ita, ut verba ea sint forma Eucharistiae essentialis et adaequata, **communiter** docent **theologi catholici**; et doctrina haec **diversis declarationibus** authenticis magisterii ecclesiastici necnon **praxi Ecclesiae** liturgica confirmatur.

104. — Statim cum post tempora Patrum, quorum doctrina accuratius erit examinanda inferius, quaestio apertius proponi et solvi inciperet, quo praecise momento et quibus verbis consecratio fieret, *theologi Occidentis* de hac re tractantes verba dominica in Canone recitata ut formam Eucharistiae assignabant. Et Agobardus († 840) quidem solum in genere respondet omnia sacramenta per virtutem Spiritus Sancti confici (2), Ratramnus († cã. 868) consecrationem fieri per ministerium sacerdotis ait et verba dominica adducit (3), alii, ut Alcuinus († 804) (4), Amalarius († 850) (5), Rabanus Maurus († 856) (6), Florus († cã. 860) (7), Paschasius Radbertus

(1) Ita Baumstark, *Le liturgie*, 9 ss.
(2) *De privilegio et iure sacerdotii*, 15 (Ml 104, 142, 143).
(3) *De corpore et sanguine Domini*, 16 ss. (Ml 121, 134 ss.).
(4) Cui attribuitur *Disputatio puerorum*. (C. X, De Missa; Ml 101, 1136).
(5) *De ecclesiasticis officiis*, III, 24 (Ml 105, 1140).
(6) *Liber de sacris ordinibus*, 19 (Ml 112, 1178).
(7) *De expositione Missae*, 60 (Ml 119, 52).

(† cā. 860) (1), Petrus Damiani († 1072) (2) eis expresse vim consecrandi tribuunt. Tempore porro *magnorum scholae doctorum* de hac re *nulla erat dubitatio*, et solum quaestio movebatur, utrum omnia singula verba a Christo in Coena in conficiendo sacramento prolata vel forsan ipsa quoque narratio de Coena ad validitatem sacramenti essent necessaria.

*Ad exemplum* sint ex auctoribus citatis Florus: « In his verbis sine quibus nulla lingua, nulla regio, nulla civitas, id est nulla pars Ecclesiae catholicae conficere potest, id est consecrare sacramentum corporis et sanguinis Domini, ipse Dominus tradidit apostolis, unde universalis Ecclesia iugem memoriam sui Redemptoris celebret, et apostoli generaliter omni Ecclesiae. Christi ergo virtute et verbis semper consecratur et consecrabitur » (l. c.); et Petrus Damiani: « Cum ergo sacerdos illa Christi verba pronuntiat: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, panis et vinum in carnem et sanguinem convertitur » (l. c.).

105. — De modo, quo ipse Christus Dominus consecraverit, utique *non* eadem ratione omnes *theologi consentiebant*. Aliqui scilicet, inter quos nominantur Odo Cameracensis († 1113), Stephanus Augustodunensis († 1139), ipse Innocentius III, ut theologus privatus, († 1216), Guglielmus Durandus († 1296); ex posterioribus Gabriel Biel († 1495) et alii, censebant Christum Dominum sua potestate *absque verbis, benedictione vel simili modo* consecrasse (3). De verbis autem quibus nos consecramus non aliud docebant theologi illi quam ceteri doctores.

106. — Solum *saeculo XVI*, cum liturgiae orientales, vix non omnes epiclesi propria instructae, melius in Occidente cognoscerentur, aliqui in doctrina hucusque constanti *vacillare coeperunt*.

(1) *De corpore et sanguine Domini*, IV, 3 (Ml 120, 1279).

(2) *Expositio Canonis Missae*, 3 (Ml 145, 881).

(3) Diversi modi, quibus Christus Dominus consecrasse aut fingi posset aut quibus eum consecrare potuisse theologi aliqui docuere, colliguntur a Christ. Cheffontaines, *De necessaria correctione*, etc. 47 ss.: 1) Christus interna virtute sine verbis consecravit; 2) verbis usus est, sed aliis quam nos; 3) bis pronuntiavit verba: « Hoc etc. »; semel secreto, et iis consecravit, dein alta voce, et transsubstantiationem factam esse affirmavit; 4) consecravit gestu benedictionis externo; 5) vel verbis: « Hoc etc. », sed demum post distributionem panis dictis; 6) benedictione interna consecravit. Cf. Lisowski, 55.

Primi, qui a communi opinione discesserunt erant duo theologi saec. XVI, Ambrosius Catharinus († 1553) (1) et Christophorus Cheffontaines (a Capite Fontium; † 1595) (2). Ambo sententiam illam quorundam auctorum modo commemoratam renovantes dicebant Christum ipsum sola benedictione (« benedictione arcana ») consecrasse; nunc autem ad consecrationem necessaria esse verba institutionis in Coena prolata, sed *necessariam esse etiam* orationem deprecativam seu *consecrationis petitionem*, quam apud Orientales in epiclesi, apud Occidentales in orationibus narrationi Coenae praeviis inveniri aiebant. Quare apud Latinos quidem verbis dominicis prolatis statim fit consecratio, apud Orientales epiclesi dumtaxat finita; et consecratio non fit vi verborum, sed vi pacti, ex quo verba ob petitionem illam virtutem accipiunt (3). *Epiclesis* igitur ut vera *causa aut saltem conditio* omnino necessaria consecrationis perficiendae statuitur.

107. — Habent *ex posterioribus* supplicationem hanc pro conditione etiam A. A. Touttée († 1718) (4), E. Renaudot († 1720) (5), P. Le Brun († 1729) (6), F. Combefis († 1679) (7), M. Le Quien († 1733) (8); et hoc quidem tres priores ita videntur intellexisse, ut consecratio non habeatur nisi epiclesi prolata, ultimi duo ita, ut prolatis verbis quidem transmutatio fiat, dummodo ea dicantur cum intentione epiclesim deinde proferendi.

Longe *maior pars theologorum* tamen *sententiam communem* de efficacia verborum tenebat et opinio auctorum modo enumeratorum sat acriter oppugnabatur, praesertim a Bougeant, Orsi, P. Benedicto (9). Quare non solum opinio illa nunc plane derelicta est apud catholicos, sed singularis ad mi-

(1) *Quaestio quibusnam verbis Christus divinum Euchar. sacramentum confecerit.* Romae 1552.

(2) *Varii tractatus et disputationes de necessaria correctione theologiae scholasticae.* Romae 1585.

(3) Catharinus, *Quaestio quibusnam verbis,* 182 ss. Similiter Cheffontaines o. c.

(4) *De doctrina Cyrilli,* dissert. 3, c. 12, n. 97 (Mg 33, 283 ss.).

(5) *Liturgiarum orientalium collectio,* passim.

(6) *Explication de la messe,* III, 223 ss.

(7) *Ad opera s. Ioannis Damasceni* (Mg 96, 637, adn. 26).

(8) *Ad opera s. Ioannis Damasceni* (Mg 94, 1140, adn. 79).

(9) Quorum scripta vide initio prioris partis huius tractatus.

nimum dicenda est etiam sententia quorundam recentiorum ex catholicis, qui putabant saltem Orientales per epiclesim consecrare aut olim consecravisse (1).

108. — Immo antiquior illa opinio iam *nullo modo*, recentior *vix ullo modo conciliari* potest **cum authenticis** magisterii Ecclesiae **declarationibus**.

Ecclesia Romana numquam quidem epiclesim ecclesiarum orientalium reprobabat neque in liturgiis ecclesiarum dissidentium ex schismate ad unitatem redeuntium eam expungebat. At sicuti in propria liturgia Romana aut epiclesim formalem expunxit aut probabilius numquam eam habuit (2), ita numquam epiclesi vim aliquam ad sacramenti confectionem adscribebat. Immo pro necessitate temporum semper *satis clare enuntiabat verba dominica esse formam Eucharistiae* essentialem et adaequatam (3).

Prima vice, quantum scio, magisterium Ecclesiae de forma Eucharistiae loquitur in epistula *Super quibusdam*, qua Clemens VI (1342-1352) Catholico Armenorum quaedam puncta doctrinae catholicae per interrogationes exponit. « In 42 capitulo tu dicis te credere et tenere, quod corpus Christi natum de Virgine et mortuum in cruce, quod nunc est in coelo vivum, post verba consecrationis panis, quae sunt: Hoc est corpus meum, est in sacramento sub specie et similitudine panis »... « Si post illa verba: Hoc est corpus meum, sacerdotes in Ecclesia Armenorum utuntur orationibus, per quae videantur orare, quod panis convertatur et transeat in corpus Christi... si huiusmodi orationes es... paratus omnino et ex toto dimittere vel saltem corrigere, quantum ad hoc, quod optando oratur, ut corpus Christi fiat in altari » (4).

(1) Ita auctor articuli: *Pensées sur la question de l'union des Eglises*, in *Roma e l'Oriente*, 1910, pp. 13 ss., 76 ss.; H. Schell, *Katholische Dogmatik*, III, 2, 539. Similiter G. Rauschen, *Eucharistie und Bußsakrament*, 99 ss. Quam opinionem pure scientifice adhuc sustineri posse censet A. Mihályfi, *Epiklezis*, 139 ss.

(2) De qua quaestione inferius agitur.

(3) De modo agendi magisterii Ecclesiae hac in re confer I. Höller, *Die Stellung der Päpste zur Epiklese der griech.-orientalischen Liturgien*. (*Theol.-prakt. Quartalschrift*, LXVI, Linz 1913, 315 ss.).

(4) O. Raynaldus, *Annales ecclesiastici*, T. VI, Lucae 1750. (Ad annum 1351, n. 11; p. 532).

Dicimus hanc primam fuisse declarationem de forma Eucharistiae, nam condemnatione *erroris 67 Armenorum a* Benedicto XII facta [1] non videtur reici opinio de efficacia epicleseos ad consecrationem [2], sed potius error de transsubstantiatione et reali praesentia Christi in sacramento.

109. — Concilium Florentinum (1438-39) nullam hac de re definitionem dare voluit, et hoc, ut ex actis Concilii elucet, propterea, ne Graeci offenderentur, quia sic forsan dicerentur hucusque false sensisse vel invalide consecrasse. In sessione autem diei 5 Iulii 1439 Bessario Nicaenus nomine Graecorum declaravit: « Quoniam ab omnibus sanctis doctoribus Ecclesiae, praesertim ab illo beatissimo Ioanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus verba dominica esse illa, quae mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem, et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent, nos ipsum sanctissimum doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate » [3]. Expresse autem catholica sententia pronuntiabatur in unionis *Decreto pro Armenis* et in *Decreto pro Iacobitis*. « Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum: sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum » [4]. « Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione corporis et sanguinis Domini sacrosancta Romana Ecclesia, Apostolorum doctrina et auctoritate firmata, semper uti consueverat, illam praesentibus duximus inserendam. In consecratione corporis hac utitur forma verborum: Hoc est enim corpus meum; sanguinis vero: Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum » [5].

110. — Concilium Tridentinum quaestionem non tangit, doctrinam tamen communem tacite supponit, ubi dicit conse-

[1] H. Denzinger - C. Bannwart, *Enchiridion symbolorum* [13]. Friburgi Brisgoviae 1921, n. 544.

[2] Ita Varaine, *L'épiclèse*, 11.

[3] I. D. Mansi, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*. Tom. 31 A, Venetiis 1798, c. 1046.

[4] Denzinger, n. 698.

[5] *Ibid.*, n. 715.

crationem fieri « vi verborum » (1). Explicitus est autem *Catechismus* iussu synodi Tridentinae editus. In *p. II, c. 4* ad quaestionem (18), qua forma ad consecrandum panem uti oporteat, respondet: « Itaque a sanctis Evangelistis docemur illam esse formam: Hoc est corpus meum » (2). Et ad quaestionem (20), quae sit forma conficiendi sanguinem: « Eam igitur his verbis comprehendi certo credendum est: Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum » (3).

111. — Concordant complura responsa sive *Congregationum Romanarum* sive ipsorum *Romanorum pontificum* hac in re data. Clemens XI (1700-21) archiepiscopo Tyri et Sidonis respondet sola verba dominica virtutem consecrandi habere et non orationes ab hominibus compositas (4). Similiter Benedictus XIII (1724-30) a. 1729 per S. Congregationem de Propaganda Fide respondet Melchitarum patriarchae Cyrillo formam consecrationis unice in verbis Christi consistere; et nonnisi ex ignorantia aut malitia consecrationem epiclesi adscribi posse (5). Pius VII (1800-1823) ad patriarcham Antiochenum et episcopos Graeco-Melchitas a. 1822 scripsit: « In virtute sanctae oboedientiae motu proprio et ex propria scientia ac deliberatione... praecipimus... ut non audeant deinceps sive publice sive privatim... docere, defendere, evulgare, suadere, tueri eam opinionem, quae tradit ad admirabilem illam conversionem totius substantiae... necesse esse praeter verba Christi eam etiam... formulam recitare » (6).

Pius X litteris ad delegatos apostolicos Orientis die 26 Decembris 1910 datis *Ex quo nono labente saeculo* errores quosdam articuli commentarii periodici « *Roma e l'Oriente* » supra

(1) *Sess. XIII, cp. 3* (Denzinger, n. 876).

(2) *Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini.* Ratisbonae 1907, pg. 176.

(3) *Ibid.*, 177.

(4) « Che la forza della consecrazione unicamente consiste nelle parole instituite da Gesù Cristo per la medesima, e non già nelle Preci, che non hanno altro autore che gli uomini, che l'hanno composte » (Rescr. ex die 6 Febr. 1716; *Acta et decreta Conciliorum recentiorum.* Coll. Lacensis. II, Friburgi Brisgoviae 1876, 439).

(5) *Decretum S. Congr. de Prop. Fide* e die 31 Martii 1729 (*Ibid.* 439).

(6) Litterae *Adorabile Eucharistiae,* ex 8 Maii 1822 (*Ibid.* 551).

citati (1) reprobat, et inter alia scribit: « Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, cum praefracte docetur, sententiam suscipi posse, quae tenet, apud Graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa quam epiclesim vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiae minime competere ius circa ipsam sacramentorum substantiam quidquam immutandi » (2).

112. — Quae ita toties a magisterio authentico theoretice enuntiabantur, etiam *praxi Ecclesiae* liturgica confirmantur. In *rubricis* Missalis adoratio sacrae hostiae statim post prolata verba dominica praescribitur (3), verba Domini esse sacramenti formam explicite enuntiatur (4), et secundum hoc regulae statuuntur observandae, si sacerdos forma semiprolata obierit (5).

**Consecrationem perfici per verba a Domino** in ultima coena **prolata** eaque sola, seu verba dominica esse **essentialem** et **adaequatam formam** Eucharistiae neque aliquam aliam orationem requiri est igitur **sententia catholica**. Quaestio autem, *quaenam praecise verba* ad essentiam formae pertineant, aut utrum et quaenam verba contextus formae ad validitatem sacramenti requirantur, adhuc inter theologos agitatur; quam quaestionem, utpote ad demonstrationem nostram non pertinentem, hic omittimus (6).

## § 3. — Doctrinae Orientalium separatorum evolutio et vicissitudines.

113. — Fatentibus ipsis theologis Orientis separati *nulla* data est de forma Eucharistiae *definitio a Concilio aliquo*, quod ipsi ut universale recipiunt, neque res decreto aliquo stabilita, quod authenticum et auctoritativum omnes theologi illi agnoscerent.

(1) Cf. pag. 13, adn. 1.
(2) *Acta Apostolicae Sedis*, III, Romae 1911, p. 119.
(3) *Ritus celebrandi Missam*, VIII, 5, 6, 7.
(4) *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*, V, 1.
(5) *Ibid.*, X, 3.
(6) De qua quaestione cf. v. gr. I. Th. Franz, *Die euchar. Wandlung*, II, 163 ss.; et M. de La Taille, *Mysterium fidei*, 455 ss.

Neque PHOTIUS neque MICHAEL CAERULARIUS errorem in doctrina de forma sacramenti obiciunt Latinis, in quorum liturgiis tamen eo tempore epiclesis, saltem formalis, non inveniebatur.

114. — A quo tempore autem in Oriente quaestio, quo modo transmutatio eucharistica perficiatur, propius investigari coepit, *doctrina de efficacia epicleseos* ad consecrandum a **Graecis** auctoribus *defendebatur*.

*Nullus* quidem est theologus Orientis separati ex antiquioribus, qui *soli epiclesi* ad exclusionem verborum Domini consecrationem tribueret (1); sed nullus etiam inter theologos Graecos, qui verba dominica sola sufficere diceret (2). Apud theologos *Russos* tamen doctrina catholica per multos annos defendebatur, ita ut aliquo tempore vere communis evaderet. Separatim igitur dicendum erit de theologis Graecis et de Russis.

*Duplex* fuit *ansa* opinionis illius *Graecorum:* verba non satis recte considerata *liturgiae* s. BASILII, ubi sacra dona adhuc post prolata verba dominica ἀντίτυπα vocantur, et locus quidam s. IOANNIS DAMASCENI, aut non plane rectus aut potius non bene intellectus (3).

115. — Et iam in *concilio Nicaeno II* (787) EPIPHANIUS diaconus contra Iconoclastas affirmat corpus et sanguinem Christi

(1) Dicit quidem CIEPLAK (9) et alii THEODORUM ANDIDENSEM (XII saec.) docuisse per solam epiclesim consecrari. Sed in loco a CIEPLAK citato (*Brevis commentatio de divinae liturgiae symbolis ac mysteriis,* c. 21 ss.; A. MAIUS, *Nova Patrum bibliotheca.* Romae 1853. T. VI, pp. 567 ss.) THEODORUS expresse scribit historiam ultimae coenae cum verbis institutionis in liturgia recitari, caeremonias hanc recitationem concomitantes (ventilabra diaconorum) commemorat, et recitationem hanc « precem » appellat. Deinde (c. 27; MAIUS 572) prosequitur: « Καὶ μετὰ τὴν ἐπαγομένην εὐχὴν ἀναδείκνυσιν ὁ ἀρχιερεὺς τὰ ἅγια, λέγων · καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ · τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ αὐτὸ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, τὸ ἐκχυθὲν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς · ἃ δὴ καὶ γινώσκομεν καὶ πιστεύομεν οὕτω μεταποιεῖσθαι, ὡς ἡ ἐπίκλησις ἔχει ». Non dicit igitur per solam epliclesim consecrari; immo ante epiclesim prolatam dona « sancta » vocat.

(2) Scribit RUSSNAK (203, 204) GEORGIUM CORESSIUM, alioquin acriter catholicos oppugnantem, contra NICOLAUM CABASILAM defendisse per epiclesim non transmutationem donorum peti, sed dignum fructum communionis solum expostulari. Textum tamen Coressii a Russnak solum ex Maffei, Peleš, Franzelin citatum, videre non potuimus.

(3) De qua re inferius agetur.

dici quidem ἀντίτυπα, sed solum ante consecrationem (πρὸ μὲν τῆς τοῦ ἁγιασμοῦ τελειώσεως) (1); similiter Nicephorus († 829) in *Antirrhetico II* (πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι, antequam sanctificentur) (2); et plane iisdem verbis Euthymius Zigabenus († post 1118) (3). Nullus tamen ex hisce aliisque auctoribus usque ad saec. XIV expresse docet consecrationem fieri per epiclesim, vel supplicationem hanc ad consecrationem esse omnino necessariam. Verba enim Nicephori consecrationem fieri « sacerdotis invocatione et Sancti Spiritus intercessione » omnino vera manent, etiamsi per verba dominica consecratio fiat, ut postea in explicatione ss. Patrum videbimus. Et adhuc saec. XIV Theodorus Meliteniotes († cã. 1361), qui communiter pro opinione illa Graecorum adducitur, nil aliud affirmat nisi « panem et vinum cum aqua per invocationem atque adventum Spiritus Sancti in corpus Christi et sanguinem supernaturaliter converti » (4).

116. — Primus qui eodem saeculo iam expresse docet ad consecrationem tum verba dominica tum *epiclesim esse necessariam* est Nicolaus Cabasilas († 1371). In sua *Sacrae liturgiae expositione* ex proposito quaestioni respondet, quo modo consecratio perficiatur. « Cum [sacerdos] venerandam illam Coenam narravit et quomodo ipsam ante passionem dedit sanctis suis discipulis et quod accepit calicem et quod accepit panem, et actis gratiis sanctificavit, et quod dixit ea, per quae significavit mysterium: et cum ea ipsa verba dixit, deinde procidit et orat et supplicat divinas illas voces ipsius unigeniti Servatoris nostri etiam in donis propositis applicans, ut suscepto eius sanctissimo et omnipotente Spiritu convertatur quidem panis in ipsum corpus et vinum in pretiosum et sanctum eius sanguinem. Haec cum oravit et dixit, universum sacrificium peractum et perfectum est » (5).

Etiam Symeon Thessalonicensis saeculo XV († cã. 1428) verba dominica necessaria esse censet, sed solum ut mandatum Domini his verbis apostolis datum exprimatur, ceterum totam vim *consecrationis epiclesi adscribit.* « [persuasum ha-

(1) Mansi, XIII, 266.
(2) *Antirrheticus II adversos Constantinum Copronymum,* 3 (Mg 100, 336).
(3) *Panoplia dogmatica,* tit. 25 (Mg 130, 1273).
(4) *Ethicon,* VIII, 2 (Mg 149, 948).
(5) *Sacrae liturgiae interpretatio,* 27 (Mg 150, 425).

bemus]... verbis Domini... apostolis et eorum successoribus facultatem per preces operandi commissam fuisse. Idcirco ad Patrem conversus et incarnationem hymnis celebrans sacerdos, primo verba Christi divina alta voce repetit, quod suo ipsius nomine et nostrum omnium sacra facit secundum mandatum... Ad Patrem enim istas voces dirigit; quae dona, teste Basilio, antitypa evaserunt, ubi sacerdos post dona oblata dixit: Tua ex tuis, et Spiritus Sancti gratiam invocavit, quam advenisse credit post preces. Tum dona crucis signo signat et surgens dona divina consecrat, dicendo: Fac panem hunc corpus Christi pretiosum. Ubi deinde panem et in calice pretiosum tuum sanguinem iterum iterumque sanctificavit, et Spiritum Sanctum invocavit, Amen adicit, mysterium confirmando » (1).

117. — In *Concilio Florentino* Graeci omnes professi sunt consecrationem per verba dominica fieri, sed Isidorus Kioviensis defendebat etiam epiclesim ad complendum consummandumque conversionis eucharisticae mysterium omnino necessariam esse. Postquam autem Ioannes de Turrecremata validis rationibus demonstraverat mysterium solis verbis Domini confici, omnes sententiae catholicae adhaeserunt et hoc ore Bessarionis antistitis Nicaeni declararunt (2).

Idem Bessario († 1472) deinde sententiam catholicam data opera defendebat in opere *De sacramento Eucharistiae et quibus verbis Christi corpus conficiatur* (3). Rationes praecipue has adducit: *a*) Verba institutionis sola a Christo in Coena dicta sunt, omnia alia postea addita sunt; *b*) talis est doctrina Chrysostomi et Gregori Nysseni; *c*) caeremoniae, quae in liturgia Graeca recitationem verborum Domini concomitantur, ea consecratoria esse demonstrant; *d*) iam ante verba Domini in liturgia preces occurrunt epiclesi simillimae, aeque igitur per eas consecratio fieri dicenda esset. Deinde obiectionibus quibusdam ex Chrysostomo, Basilio, Damasceno petitis respondet et explicationem epicleseos adducit inferius considerandam.

(1) *Expositio de divino templo*, 78; 88 (Mg 155, 729, 737). Eamdem opinionem proponit in *Responsione 83*, ad Gabrielem Pentapolitanum, sed ibi affirmat insuper ad complendum sacrificium etiam oblationem esse necessariam (Mg 155, 952).

(2) Mansi 31 A, 1005 ss.; Mansi 31 B, 1672 ss.

(3) Mg 161, 494 ss.

118. — E contra opinionem Graecorum separatorum defendit acerrimus synodi et unionis Florentinae adversarius Marcus Eugenicus Ephesinus († 1443) (1); haud tamen feliciter. Affirmat consecrationem fieri per *epiclesim et benedictionem sacerdotis* virtute Spiritus Sancti (ita iam in titulo opusculi), verba dominica tamen necessaria esse putat, sed solum ut rei in ultima coena gestae recordemur et ut per ea vis et potentia in praeposita dona ad transmutationem immittatur (n. 1, 4). Sed neque explicat, qua ratione ista vis immittatur, neque ullo vero argumento demonstrat consecrationem per epiclesim fieri. Solum affirmat: *a*) *neminem Patrum* dicere consecrationem per sola verba dominica fieri (n. 6); *b*) si ea sola sufficerent, neque altari *neque sacerdote opus esset* (n. 6); *c*) provocat ad *liturgiam s. Basilii*, ubi sacra dona verbis dominicis prolatis adhuc ἀντίτυπα vocantur (n. 5); et adducit *Pseudo-Dionysium* Areopagitam (6) necnon *Chrysostomum* (n. 5, 7), quem suo modo explicat. Ceterum censet se thesim suam sufficienter demonstrasse, si ostenderit aliquas praecipuas liturgias Orientis epiclesim continere.

119. — Saeculo XVI finiente patriarcha Ieremias II in sua *Responsione II* ad protestantes solummodo dicit transmutationem fieri « invocato et superveniente Sancto Spiritu » (2); in *I Responsione* autem « invocatione et gratia Spiritus sacrarum precationum et divinorum oraculorum interventu » (3). Videtur igitur epiclesi transmutationem adscribere, sed verba quoque Domini necessaria habere, licet hoc clare non exprimat. Clarius loquitur Gabriel Severus ex initio saeculi XVII († 1616), qui doctrinam Nicolai Cabasilae suam facit (4). Ad saec. XVII pertinent *libri symbolici*, quorum doctrina supra exposita est.

120. — *Nullus* tamen ex auctoribus hucusque adductis sententiam hanc *propriis argumentis* comprobat, excepto Marco Eugenico, cuius tamen demonstratio sat debilis est. Saec. XVIII

(1) *Quod non solum a voce dominicorum verborum sanctificantur divina dona, verum a consequente oratione et benedictione sacerdotis, virtute Sancti Spiritus.* (R. Graffin - F. Nau, *Patrologia orientalis*, XVII. Parisiis 1923; p. 426 ss.).

(2) « ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος » (*Resp. II*; Schelstrate, I, 200).

(3) « διὰ τῶν θείων καὶ ἱερῶν εὐχῶν καὶ λογίων » (*Resp. I*; *Ibid.* 161).

(4) Συνταγμάτιον περὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν μυστηρίων. Venetiis 1600.

dumtaxat (1) Eustratius Argentis († cã. 1760) *complura argumenta* pro opinione Graeca colligit et obiectionibus respondere conatur (2). Cum theologi supra adducti proprie sólum de consecratione a sacerdote nunc facta loquantur eamque epiclesi adscribant, de modo consecrationis a Christo factae nil dicant, immo aliqui forsitan (Euthymius, Symeon), Christum per verba institutionis consecrasse concedant, Eustratius *ipsum Dominum verbis institutionis consecrasse negat.* Praecipua eius *argumenta* Christum benedictione, et non verbis, « Hoc est etc. » consecrasse haec sunt: *a*) Christus verba illa protulit, cum *iam corpus suum apostolis daret*, illudque non in eius manibus, sed in manibus apostolorum esset; ergo iuxta Latinos consecratio esset post communionem (59, 63); *b*) vocatur Eucharistia τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ἄρτος τῆς εὐλογίας (59); *c*) verba illa *neque ad Patrem* diriguntur, neque super panem dicta sunt (60); *c*) dixit Salvator: *Hoc est* corpus meum, *non: Hoc fiat* (ibid.); *e*) adducuntur *catholici auctores*, qui Christum Dominum benedictione consecrasse docuerunt (63); *f*) sententia talis nullam *vim infert verbis Christi*, Patribus et liturgiis (64). — *Argumenta* Eustratii, quod *nunc* per *epiclesim* et benedictionem consecratur: *a*) *idem* est substantialiter *sacrificium* Christi et sacerdotis, qui Christum imitari debet (86, 102); *b*) etiam *alia mysteria* sanctificantur *per preces* (εὐχαί, εὐλογίαι, 104); *c*) immo *nullum sacramentum* sanctificatur *per verba ex Scriptura* desumpta (106); *d*) *omnes liturgiae epiclesim* habent; etiam Latinae eam habuerunt (89 ss., 117); *e*) *explicationes*, quas Latini dant de epiclesi, *falsae* sunt (109 ss.).

121. — Adducit dein ea, *quae sententiae separatorum opponuntur* et respondet: *a*) In *Scripturis sola verba institutionis* referuntur in iisque referendis omnes hagiographi consentiunt, epiclesis in Scriptura non est, nihil autem est Scripturae addendum (*Resp.*: verba consecratoria implicite in verbo εὐλόγησε continentur, quod per traditionem explicatur; verba institutionis dicta sunt, cum porrigeretur [ἐν τῇ δόσει] corpus et sanguis, 67 ss., 71, 88, 120, 132); *b*) verba institutionis *optime significant* transmutationem, contradiceret sibi igitur sacerdos primo

(1) Ea quae fratres Ioannicius Likhudes († 1717) et Sophronius († 1730) scripsere, opportunius infra adducentur, ubi de theologis Russis; in Russia enim scribebant.

(2) Σύνταγμα κατὰ ἀζύμων. Lipsiae 1760.

verba illa proferendo, deinde consecrationem petendo (*Resp.*: primo debet res fieri, deinde declarari: verba illa igitur mere historice recitantur, 67, 119); *c*) non propriis verbis, sed *verbis Christi* mysterium est conficiendum; quare etiam baptismus verbis Christi perficitur (*Resp.*: supplicatio sacerdotis vim a verbis Christi accipit; in baptismate distinguenda est benedictio seu consecratio mysterii, quae per supplicationem fit, ab usu mysterii, in quo verba Christi adhibentur, 71, 120, 129); *d*) Christus alibi etiam *panes benedixit, quin eos consecraret* (*Resp.*: dantur diversae benedictiones, 70); *e*) verba institutionis *in omnibus liturgiis* inveniuntur (*Resp.*: non omnia verba, quae in codicibus habentur, consecratoria sunt. 126); *f*) verba dominica *cum magna solemnitate*, alta voce proferuntur et iis per « Amen » vel « Ita credimus » respondetur, dum verba epicleseos voce demissa dicuntur (*Resp.*: quia illis coenam dominicam recordamur, et per « Amen » fidem in hoc historicum factum testamur; verba consecratoria mysterii arcana esse debent, 125, 127); *g*) *post verba institutionis* sacerdos dicit: « Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν (*Resp* : haec sunt explicanda de oblatione donorum non consecratorum, 125); *h*) *S. Ioannes Chrysostomus* doctrinam catholicam tenet (*Resp.*: unus Pater errare potest; alibi tamen orthodoxam proponit. 71, 134); *i*) *orthodoxi* separati in doctrina de forma Eucharistiae *non consentiunt* (*Resp.*: consentiunt quoad substantiam, 130).

Fusius huius auctoris argumenta proposuimus, quia principalia ex iis occurrunt apud theologos recentiores, quorum doctrinam alibi exposuimus.

122. — Concludendum est igitur *theologiam* **Graecam** inde a tempore recentiore, quo auctores quaestione de modo consecrationis eucharisticae occupari coeperunt, docuisse **epiclesim esse necessariam,** sed **etiam verba dominica** in liturgia **requiri.** Numquam tamen explicatum fuit clare a theologis Graecis, in quo ratio necessitatis verborum illorum eorumque influxus in consecrationem habeatur; item usque ad saeculum XVIII propria argumenta pro thesi separatorum non proponebantur. *A nemine* etiam opinio illa ut aliquid *ad fidem pertinens* proponebatur, et in *praxi liturgica parum* attendebatur. Ita explicari potest adhuc in Concilio Florentino Graecos absque ulla difficultate doctrinae catholicae adhaerere potuisse.

123. — *Maiores vicissitudines* habuit doctrina de Eucharistiae forma **apud Russos** separatos (1).

Quaestio, quibusnam verbis consecratio perficiatur, in Russia diligentius tractari coepit *occasione reformationis librorum liturgicorum* a patriarcha Nicone a. 1654 inceptae et magni schismatis Raskolnikorum ob eam correctionem orti. Certum est et ab omnibus conceditur *Raskolnikos* omnino *epiclesi vim consecrativam negasse*, et tenuisse consecrationem perfici *per verba a Domino* in Coena prolata (2).

Hanc eamdem doctrinam defendebant autem in Russia etiam *complures theologi* orthodoxi, non solum ex parte meridionali seu *Kiovienses*, sed etiam ex ditione *Moscoviae*, ita ut haec sententia per 50 circiter annos in ecclesia Russiae universa communis evaserit.

124. — Ex *Kioviensibus* huc pertinent: Lazarus Baranovič († 1693) (3), Ioannicius Galjatovsky († 1688) (4), metrop. Gedeon (5), Innocentius Gizelj († 1683) (6), Barlaam Jasinski (7), Theodosius Safanovič (8), duo manuscripta ab I. A. Sljapkin Kioviae inventa (9); omnia ex saeculo XVII.

In ditione *Moscoviensi* ad defensores doctrinae catholicae pertinent: Simeon Polocky († 1680) (10), Gabriel Domecki († 1707) (11), Petrus Artemijev († 1700) (12). Praesertim magno

(1) De hac re fuse agit ex operibus initio tractatus nostri citatis G. Mirkovič, О времени пресуществленія. Brevius de doctrinae Russorum separatorum evolutione agunt Russnak 190 ss.; Lisowski 31 ss.; Cieplak 14 ss.

(2) Lisowski 33. — Doctrinae hodie apud separatos communi certe opponuntur etiam pauci ii ex Raskolnikorum secta, qui consecrationem iam in ipsa praeparatione donorum (проскомідія) perfici putabant. Ita N. K. Dobrynin et hierom. Lazar. (Adducuntur apud N. Subbotin, Историко - и догматико - полемическія сочиненія первыхъ расколоучителей. I. pp. 50 ss., 196 ss.).

(3) In responsione ad patriarcham Ioachim ex 4 Februarii 1689.

(4) Мессія правдивый. Kijev 1669.

(5) In sua responsione patriarchae Ioakim ex 25 Martii 1689.

(6) Миръ съ Богомъ. Kijev 1669.

(7) In responsione ad patriarcham. Cf. Mirković 206; Russnak 193.

(8) Выкладъ о церкви святой. Kijev 1668.

(9) Russnak 205.

(10) Iam aliquo modo in opere suo Жезлъ правленія a. 1667 edito; clare et expresse in Вопросы и отвѣты о вѣрѣ et Слово о благоговійномъ стояніи въ храмѣ Божіемъ.

(11) Cf. Mirkovič 232; Russnak 203.

(12) Mirkovič 226; Russnak l. c.

cum ardore et apparatu scientifico defendebant eam Silvester Medvjedev († 1691) (1) et amicus et coaetaneus eius Innocentius Monastyrsky (2). Item vir apud Russos clarus et a. 1757 sanctus declaratus, Demetrius Tuptalo Rostovensis († 1709) primis annis expresse doctrinam catholicam proponit (3); eam quidem deinde reliquit, sed praecise in opella, qua eam revocabat, indirecte eam approbat: libros scilicet liturgicos adducit et agnoscit, qui adorationem post verba dominica iam prolata in s. liturgia praescribebant, aliaque ibi habet, quae cum doctrina de efficacia epicleseos consecratoria non componuntur (4).

125. — *Ad exemplum* doctrinae Russorum adducatur ex *Kioviensibus* Gizelj: " Форма же, или совершеніе сей тайны суть оныи словеса Христовы, глаголемыи отъ іерея при божественной литургіи надъ хлѣбомъ: пріймите, ядите, сіе есть тѣло мое; надъ виномъ же: пійте отъ нея вси, сія естъ кровь моя; тѣми бо словесы истинно хлѣбъ прелагается въ тѣло Христово, а вино въ кровь Христову... „ (5); ex *Moscoviensibus* autem Monastyrsky: Аще апостоли отъ Христа, ученици суще отъ учителя, отци святыи отъ апосголовъ научены преданіа церкви святой пресуществленію хлѣба и вина плоти и крове Христовой бывати словесы Христовыми, почто убо нынѣшніе греки и наипаче въ царствующомъ градѣ Москвѣ обрѣтающіеся Софроній и Іоанникій Лихудіевы твердятъ, яко словеса Господня точію воспоминательно въ литургіи глаголются? „ (6).

(1) In operibus Книга глаголемая Хлѣбъ животный et Книга о Маннѣ хлѣба животнаго, quod a. 1687 (una cum Monastyrsky) conscripsit.

(2) In Книга о пресуществленіи; et in duplici suo responso ad fratres I. et S. Likhudes.

(3) О священіи святыхъ пречистыхъ таинъ. (In manuscripto. Citatur apud Russnak 195).

(4) Russnak 193, adn. 6.

(5) « Forma seu modus perficiendi huius sacramenti sunt illa verba Christi prolata a sacerdote in divina liturgia super panem: accipite, edite, hoc est corpus meum, super vinum deinde: bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus: hisce enim verbis vere panis transmutatur in corpus Christi et vinum in sanguinem Christi ». (O. c. 121; apud Russnak 197).

(6) « Si apostoli a Christo, tamquam discipuli a magistro, sancti Patres ab apostolis edocti sunt traditionem sanctae Ecclesiae, fieri scilicet transsubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi verbis Christi, cur igitur hodierni Graeci, et praesertim ii, qui in urbe imperatoria, Moscoviae, inveniuntur Sophronius et Ioannicius Likhudes, affirmant, acsi verba Domini solummodo commemorative in liturgia recitarentur? (Книга 166; apud Russnak 202).

126. — *Argumenta* petunt hi auctores ex *Scriptura*, *Patribus*, *liturgiis*, *ratione theologica*. Ex liturgiis adducunt diversos libros rituales russos, qui praescribentes adorationem post verba Domini in s. liturgia prolata sententiam catholicam supponunt. Ex Patribus citatur praesertim s. Ioannes Chrysostomus, ab aliquibus Basilius, Nyssenus, Gregorius Magnus, Damascenus et alii.

*Doctrinam* hanc fuisse eo tempore *communem* in ecclesia Russiae affirmat Baranovič in sua *Responsione ad patriarcham* aliique doctrinae defensores in suis operibus, idque concedit orthodoxus theologus V. Nečaev (1); et ipse Mirkovič confitetur doctrinam hanc profundas radices in Russia habuisse (2). Neque a theologis tantum docebatur, sed, ut paulo superius innuimus, proponebatur ab ipsis libris liturgicis et commendabatur ab aliquibus synodis, praesertim eo quod *libros* tales *rituales* vel *Catechismos* doctrinam communem continentes approbabant.

Adduci possunt: *Služebnik* Petri Mogilae ex a. 1639, *Činovnik* patr. Ioakim ex a. 1677, *Služebnik* ex a. 1668, *synodus Mogilevensis* 1637, *Kioviensis* 1640, *Moscovienses* ex a. 1667, 1675, *Catechismus* Silvestri Kosov 1635, *Catechismus* Petri Mogilae 1645 (3).

127. — *Immerito* quis opponeret auctores hos doctrinam suam *a Latinis mutuatos esse*. Contra hoc ipsi protestati sunt, v. g. Baranovič in sua Responsione. Et re vera theologi dicti praecise ii sunt, qui in aliis punctis doctrinam catholicam oppugnabant et catholicorum inimici erant. Insuper in defendenda doctrina sua non argumenta theologorum occidentalium repetunt, sed propria afferunt; praesertim ad praxim liturgicam ecclesiae russicae provocant. Et thesim suam tenent et defendunt, licet scirent eam doctrinae Confessionum Mogilae et Dosithei non consentire (4).

128. — Doctrinae communi duo scriptores Russi *sese opposuerunt: ex Kioviensibus* Epiphanius Slavinecky († 1675) (5),

(1) Толкованіе на божественную Литургію. Moskva 1873, p. 180.

(2) O. c. 68, 69.

(3) Cf. Russnak 107 ss., 112, 189 ss., 198, 211; Cieplak, 51 ss.; Lisowski 35 ss.; 280.

(4) Russnak 191, 204; Lisowski 33 ss.

(5) Скрижаль 1656.

et monachus Euthymius *ex Moscoviensibus* († 1705) (1). Parum tamen profecissent, nisi ex Graecia fratres Ioannicius et Sophronius Likhudes advenissent, et magno cum apparatu et vehementia Graecorum opinionem defendissent (2). *Praecipua argumenta* eorum sunt: Christus non consecravit verbis institutionis; sacerdos non consecrat propria virtute, sed virtute Spiritus Sancti; Patres docuere epiclesim ad consecrationem requiri.

Oppugnationi huic tribuendum est doctrinam catholicam paulatim in Russia derelictam fuisse. *Non* tamen *argumentis victa est*, sed potius vi adhibita. Concilium Moscoviense a. 1690 sententiam catholicam anathemate plexit, nulla tamen argumenta pro opinione contraria afferebat neque aliquam definitionem dedit. Medvjedev sub praetextu seditionis ab eo contra filium imperatoris movendae accusatus est et a potestate civili capite plexus est a. 1691, Arsenjev in exilium missus et ibi mortuus a. 1700.

Ab hoc tempore theologia russica eandem opinionem de forma Eucharistiae defendit quae Graecorum fere ab initiis schismatis communis erat. Eam proponunt Theophanes Prokopovič († 1736), Tichon Voronežsky († 1783), auctores Compendiorum theologicorum inde ab initio saec. XIX in Russia conscriptorum (3) et omnes theologi recentes supra adducti.

129. — Nihilominus verum manet **sententiam catholicam in Russia** saeculo XVII **per aliquot decennia fere communem** fuisse, theologos eam defendentes doctrinam hanc *non a Latinis* recepisse, et ab ea non ob argumenta, sed *potius vi externa* adductos recessisse.

Sententia enim orthodoxorum separatorum solidis argumentis sustineri nequit, dum doctrina catholica ex traditione et rationibus theologicis comprobatur.

Quod in sequentibus paragraphis ostendendum est.

(1) Praecipue in Опроверженіе латинскаго ученія о пресуществленіи (ed. Kazanj 1863). Alia eius opera vide initio tractatus in Bibliographia.

(2) Quorum praecipua opera initio tractatus notavimus.

(3) Enumerantur apud Palmieri, I, 167 ss.

## § 4. — **Sententia Orientalium separatorum de vi consecratoria epicleseos nullo solido argumento comprobari potest.**

130. — Vere solidum, immo *irrefragabile argumentum* haberent Orientales dissidentes, *si haec duo* ostendere possent: *a*) epiclesim esse **factum liturgicum universale** seu in omnibus liturgiis inveniri, et *b*) eam **ad consecrationem requiri** seu partialem saltem formam sacramenti esse, quia aut α) hoc PATRES communiter ita AFFIRMANT, aut β) NULLA ALIA EXPLICATIO huius supplicationis possibilis est. Haec duo ab ipsis probari deberent. Nam ex sola universalitate epicleseos nihil sequeretur, quia etiam aliae partes, puta Memento, Ἀνάμνησις, « Pater noster », fractio, in omnibus liturgiis inveniuntur.

Si vice versa ostenditur membrum primum argumenti sustineri non posse, seu epiclesim universale factum liturgicum non esse, iam a priori concludi potest etiam secundum et tertium membrum nullo argumento fundari; nisi Orientales separati dicere velint in diversis liturgiis plane diversam esse formam eiusdem Eucharistiae sacramenti, aut ecclesias, quarum liturgiae epiclesim non habent, invalide consecrare. Quod tamen nemo Orientalium aperte confiteri audet.

131. — Demonstrabimus in sequentibus *nullum ex tribus membris* argumenti solida ratione fundari.

*Nomine epiclesis* hic intelligimus EPICLESIM STRICTE DICTAM, id est supplicationem talem, in qua, obvio vocabulorum sensu, transmutatio eucharistica expetitur. Argumentationi nostrae eum *valorem* attribuimus, ut *secundam* affirmationem (Patres non docuerunt epiclesim requiri ad consecrationem) et *tertiam* (epiclesis non est necessario explicanda ut supplicatio pro consecratione nondum facta) omnino *certas* habeamus; *primam* (epiclesis stricte dicta non est factum liturgicum universale) saltem solide *probabilem* censeamus.

## Cap. I.

### *Epiclesis stricte dicta non est factum liturgicum universale.*

132. — *Non* omnes liturgias *habere epiclesim formalem,* prout supra definita est (1), *quisque concedere debet.* Quaestio igitur solum esse potest, *utrum* in omni liturgia aliqua oratio sit, *quae* tali epiclesi *aequivaleat.* Et si ita, ulterius quaeri potest, an oratio talis semper in liturgiis fuerit, et ab ipso tempore apostolico sit repetenda.

Epiclesim *factum* liturgicum *universale* esse non solum *ii auctores negant,* qui putant epiclesim ex oratione alia *sese evolvisse,* vel tenorem aut sensum eius originalem postea mutatum esse, de quibus infra agetur, ubi inter varias epicleseos explicationes etiam haec sic dicta theoria « historicae evolutionis » adducetur; sed etiam *complures alii.* Ad priores pertinent e. gr. C. Hefele, I. Höller, G. Rauschen, A. Baumstark, I. Brinktrine; ad posteriores I. Th. Franz, P. Batiffol, I. Cieplak, F. Probst, I. Marković, N. Russnak, F. Varaine (2).

*Alii* tamen *in omnibus liturgiis* orationem aliquam, quae epiclesi propriae aequivaleat, inveniri censent; et sunt e. gr. L. A. Hoppe, C. Henke, A. de Waal, S. Salaville, F. Lisowski (3).

Subscribimus sententiae eorum, qui epiclesim factum liturgicum universale esse negant.

133. — Supplicationem hanc *fundamentum* aliquod in ipsa *s. Scriptura* habere cum S. Salaville (4) concedi potest: sed aeque certum est s. Scripturam in ultima coena enarranda sola verba dominica afferre et nullam omnino mentionem de aliqua epiclesi facere. *Nullum* etiam *documentum priorum trium saeculorum* epiclesim liturgicam nobis exhibet neque de ea certe

(1) V. n. 96.

(2) Quorum omnium opera initio prioris partis tractatus nostri citantur. Sententiae diversae de evolutione et significatione epicleseos inferius afferentur.

(3) In scriptis initio tractatus adductis.

(4) *Les fondements scripturaires de l'épiclèse* (*Echos d'Orient* XII, 1909, 1 ss.).

testatur; *ex Doctrina duodecim Apostolorum* (Didache) et Iustino potius concluditur epiclesim eo tempore in liturgia non fuisse (1).

Non omnia quidem quae de epiclesi sese paulatim evolvente et de variationibus, quas decursu temporis subiisset, a diversis auctoribus proponuntur, aeque fundata sunt (2); sed *aliquam evolutionem* hac in re omnes admittere debent. In quam evolutionem sententias theologicas huius alteriusve periodi vel scholae theologicae influxisse probabile est (3).

134. — Ut tamen quaestioni, an universaliter in liturgiis epiclesis inveniatur determinatius respondeatur, *singulae liturgiae* sunt considerandae.

Et de **orientalibus** quidem satis constat eas epiclesim *continere, « cum paucis exceptionibus »* (4).

Et re vera talem *exceptionem* faciunt imprimis liturgiae illae, in quibus post verba dominica supplicatio fit solum *pro fructibus dignis sacramenti* et quas supra notavimus (5); et deinde eae liturgiae, ubi supplicatio *praemittitur narrationi de coena Domini*, sicuti fit in liturgia S. Adaei et S. Maris (6) et in fragmento liturgiae apud Deir Balyzeh invento (7). Sed de liturgia in Deir Balyzeh inventa contra P. de Puniet (8) ostendit S. Salaville (9) dictam supplicationem ante verba dominica positam, esse quidem « prolepsim » quandam, sed propriam epiclesim etiam in hac liturgia post narrationem Coenae et verba institutionis fuisse. Quod comprobat ex analogia ad anaphoras aliarum liturgiarum aegyptiacarum, ex ipso textu illius supplicationis et totius fragmenti, et inde, quod secus mutationes haud parvae in brevi tempore factae essent in liturgiis aegyptiacis, quod vix

(1) Varaine 92.

(2) Coniecturas de tali evolutione et mutatione vide e. gr. apud A. Baumstark, *Le liturgie orientali*. De aliis auctoribus dicetur infra, ubi de « theoria historicae evolutionis ».

(3) Quod nobis videtur F. Varaine, o. c., satis ostendisse, licet non omnia quae proponit, nobis probentur.

(4) Ita Varaine, 110.

(5) Cf. num. 100.

(6) Renaudot, II, 592.

(7) Textus apud *Revue bénédictine* 1909, 45.

(8) *Le nouveau Papyrus*, etc.

(9) *Le nouveau fragment*, etc.

probabile apparet. Rationibus docti auctoris assentiunt etiam VARAINE (1) et BATIFFOL (2).

135. — Inter liturgias *occidentales* praecipua quaestio fit de **liturgia Romana.**

*Tria certo affirmari* possunt: *a*) liturgiam Romanam in *hodierna* sua forma *non habere* epiclesim *formalem* stricto et proprio sensu; *b*) canonem *hodiernum* liturgiae Romanae *primitivum non esse*, sed mutationes diversas decursu temporis evenisse (3); *c*) quaestionem hanc de epiclesi in liturgia Romana *non posse solvi quasi a priori* in hunc modum: liturgiae orientales habent epiclesim, liturgia Romana ex orientalibus liturgiis orta est, ergo saltem in sua forma primitiva aliquam epiclesim habere debuit.

Ceterum autem sat magna adest *diversitas sententiarum* in duplici quae hac in re proponitur quaestione: *a*) *utrum* liturgia Romana *in praesenti forma* aliquam orationem habeat, quae *epiclesi aequivaleat;* et *b*) *utrum saltem olim epiclesim formalem continuerit?*

136. — Et auctores ii, qui epiclesim factum liturgicum universale reputant, omnes, ut patet, etiam in liturgia Romana SUPPLICATIONEM ALIQUAM EPICLETICAM inveniri affirmant. *Consensus* tamen *non est, in qua oratione* missae haec supplicatio ponenda sit. Nonnemo eam iam in oratione *Offertorii* « Veni Sanctificator » inveniri putavit; alii assignabant orationes *verba*

(1) O. c. 86.

(2) *Nouvelles études*, 522.

(3) De evolutione Canonis liturgiae Romanae cf. F. X. FUNK, *Über den Kanon der römischen Messe* (Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen). Paderborn 1907; F. CABROL, *Canon romain* (Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie, II, 2. Paris 1910, 1847 ss.); F. CABROL, *Le canon romain et la Messe* (Revue des sciences philosophiques et théologiques, III. Paris 1909, 490 ss.); H. GRISAR, *Der kürzlich veröffentlichte älteste Messkanon der römischen Kirche* (Zeitschrift für kath. Theologie, X. Innsbruck 1886, 1 ss.). — Canonem primitivum reconstruere, ut aiunt, conati sunt A. BAUMSTARK, *Le liturgie;* A. BUCHWALD, *Die Epiklese;* P. DREWS, *Zur Entstehung des röm. Kanons;* E. BISHOP, *Note of the Moment of the Consecration;* sed non pauca sat arbitrarie affirmantur. Tractatus noster iam typis mandabatur, cum eruditum et eximium opus in manus venerit D. CUN. MOHLBERG, *Il Messale glagolitico di Kiew (sec. IX) ed il suo prototipo romano del sec. VI-VII.* [Memorie della P. Accad. Rom. d'Archeologia, vol. II, Roma 1928]. Eo igitur uti non potuimus. Sed quantum inspicere licuit, conclusiones nostrae per indagationes *M* confirmantur.

*dominica praecedentes:* « *Hanc igitur oblationem* », « *Quam oblationem* », aut quae ἀνάμνησιν *sequuntur:* « *Supra quae* », « *Supplices te rogamus* ». A. DE WAAL censuit (1) epiclesim quamdam « in actu exercito » esse in illa *impositione manuum,* quae a sacerdote peragitur, dum orationem « Hanc igitur oblationem » recitat. Olim enim, ait, dum episcopus celebrans verba Domini consecratoria proferret, sacerdotes concelebrantes manus super hostiam extendebant, cum quo ritu probabiliter aliquam supplicationem epicleticam coniunctam esse existimat. Quae tamen *potius coniciuntur* solum, quam demonstrantur; quare nemo, quantum scio, ex theologis huic sententiae adhaesit. *Multo minus* adhuc oratio « *Veni Sanctificator* » epiclesi est aequiparanda, quae non in Canone, sed in Offertorio invenitur, neque antiquitus Romae, Mediolani, in Gallia a sacerdote celebrante recitabatur (2).

137. — *Maiore probabilitate* indoles epicletica adscriberetur orationi « *Quam oblationem* », *si* verba « *benedicere* » et « *adscribere* » eundem sensum quam « *consecrare* » habere demonstrarentur; quod tamen *non constat.*

Tunc oratio haec aequiparanda esset illis supplicationibus liturgiarum orientalium, quas « prolepses » vel « epicleses anteconsecratorias » vocant. Ceterum, etiamsi ostenderetur tales petitiones consecrationis ante verba dominica in omni liturgia inveniri, *parum per hoc separatorum argumentum* pro efficacia consecratoria epicleseos *firmaretur.* Nam suppositum totius argumentationis eorum et doctrinae eorum de forma Eucharistiae est: consecrationem adhuc postulari verbis Domini iam prolatis.

138. — *Restant* orationes « *Supra quae* » et « *Supplices* ». Cum plerique utramque orationem simul iungunt et cum praesertim oratio « *Supplices* » a non paucis ut epiclesis quaedam aequivalens defenditur, *sufficit hanc ultimam orationem considerare.* Ceterum complures rationes, quae contra indolem epicleticam huius supplicationis loquuntur, etiam de oratione « Supra quae » valent.

Conceditur communiter *secundam partem* precis « Supplices » (« ut quotquot etc. ») respondere *secundae parti epicleseos,* in qua aeque fructus communionis expetitur. Hodiernam for-

(1) *Archäologische Erörterungen zu einigen Stücken im Kanon der heil. Messe* (*Katholik,* LXXVI, Mainz 1896, I, 385 ss.).

(2) A. DE WAAL, l. c. 396.

mam precis ex antiquiore modificatam esse censuerunt Bishop (1), Cabrol (2), Probst (3); e contra *orationem hodiernam antiquam esse et integre conservatam* defendit, et recte quidem ut videtur, M. de La Taille (4).

139. — Supplicationem hanc *epiclesi aequivalere* censent *plerique* ex auctoribus supra laudatis, qui *epiclesim factum universale* liturgicum affirmant. Ita Hoppe, Bishop, Salaville, M. de La Taille. *Ex orientalibus* dissidentibus iam N. Cabasilas affirmabat etiam Latinos in liturgia Spiritum Sanctum invocare post verba dominica, ut dona transmutet (5), quod in oratione « Supplices » fieri censent Maltzew (6) et Goeken (7). Omnes hi auctores igitur verbum « *perferri* » explicant de *transmutatione* eucharistica, « *haec* » intelliguntur *dona adhuc non consecrata,* panis scilicet et vinum (8), « *sublime altare* » M. de La Taille cum aliis *de ipso Christo* exponit, « *Angelum* » autem alii de *Spiritu Sancto,* alii de Filio Dei vel *Verbo* intelligunt (9).

140. — *Non pauca* tamen explicationi tali *opponuntur*. Certe *a*) non is est *sensus obvius* verborum, qui legenti textum huius supplicationis in mentem venit; *b*) expositio talis *auctoribus antiquis* s. liturgiam explicantibus *ignota* erat. Sane usque ad Guglielmum Durandum († 1296) nemo ex Latinis tali modo supplicationem exposuit. Florus († cã. 860) (10) nullam determinatam expositionem sublimis supplicationis dare audet, Inno-

(1) *The Church Quartely Review,* LXVI, 385 ss.

(2) *Anamnèse* (*Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* I, 2, 1885).

(3) *Die abendländische Messe,* 177 ss.

(4) *Mysterium fidei,* 280 ss.

(5) *Sacrae liturgiae interpretatio,* c. 30 (Mg 150, 433 ss.).

(6) *De vestigiis* etc. (*Acta II Conv. Velehr.*, Pragae 1910, 140 ss.).

(7) *Die eucharistische Epiklesis* (*Zeitschrift für kath. Theologie,* 1897, 374 ss.).

(8) Ex sententia satis divulgata et inferius expressius adducenda epicleses et orationes iis aequivalentes vere et proprie transmutationem panis et vini petunt, sed referantur oportet non ad tempus quo dicuntur, sed ad tempus, pro quo dicuntur, id est ad ipsam consecrationem; non proferuntur tamen nisi post verba dominica, ut ordo personarum divinarum servetur et continuatio liturgiae non interrumpatur.

(9) Rationes quibus suadetur Angelum esse Verbum vide apud M. de La Taille, 447 ss.; Marković, 175; rationes quibus Hoppe firmat opinionem suam Angelum esse Spiritum Sanctum in o. c. 176 ss.

(10) *Opusculum de expositione missae,* 66 (Ml 119, 58 ss.).

centius III († 1216) (1), Odo Cameracensis († 1113) (2), Thomas Aquinas († 1274) (3), Bonaventura († 1274) eam explicant *de corpore mystico Christi*, quatenus sacrificium et orationes sacerdotis et fidelium per angelorum ministerium in conspectum divinae maiestatis perferri postulantur. Ipse Durandus (4) solummodo dicit possibile esse, ut oratio haec illo modo, scilicet de transmutatione eucharistica, explicetur; et alias tres expositiones adducit. *c*) Interpretatio haec *a Patribus synodi Florentinae* non cognoscitur; immo potius directe ab ipsis excluditur. Facile enim tota quaestio, de forma Eucharistiae tunc agitata, soluta esset et longae disputationes hac de re superfluae evasissent, si Patres censuissent etiam Romanam Ecclesiam in oratione « *Supplices* » epiclesim habere. Vice versa Patres concilii *ipsam epiclesim orientalem* non considerant ut petitionem transmutationis, sed ut supplicationem *pro digno fructu s. communionis* (5); *d*) Ex auctoribus *Florentino et Tridentino posterioribus* Stephanus Duranti († 1587) (6), Fr. Suarez († 1617) (7), Rob. Bellarminus († 1621) (8), P. Le Brun († 1729) (9), Benedictus XIV († 1758) (10) explicationem veterum (de precibus ante conspectum Dei perferendis) suam faciunt; *e*) *ex recentibus auctoribus* complures, iique in quaestione versati, orationi huic indolem epicleticam denegant. Sunt iidem qui epiclesim factum universale liturgicum esse negant (11), et ii

(1) *De sacro altaris mysterio*, V, 5 (Ml 217, 891).

(2) *Expositio in canonem Missae*, dist. 3 (Ml 160, 1066).

(3) *S. Th. 3, qu. 83, a. 4* ad nonum.

(4) *Rationale divinorum officiorum* l. IV. Venetiis 1599; p. 119.

(5) Ut constat ex actis et disputationibus concilii apud Mansi, T. 31 A et B.

(6) *De ritibus ecclesiae catholicae*. Romae 1591, l. 2, c. 42.

(7) *In III p., t. III, qu. 83*, a. 4, disp. 83, sect. 2.

(8) *De sacramento Eucharistiae*, l. 4, c. 14.

(9) *Explication*, I, 448.

(10) *De sacrosancto missae sacrificio*. l. 2, c. 16, n. 23 ss. (Migne, *Cursus theologiae*, XXIII, 1032 ss.).

(11) Quibus adiungi possunt Beron et Harapin in operibus vel articulis initio tractatus citatis. Immo adiungendi sunt omnes illi auctores, qui ipsam epiclesim proprie et stricte dictam explicant ita quod sit petitio pro sanctificatione corporis mystici et de quibus infra agetur: Assemani, Turrecremata cum Patribus concilii Florentini, Suarez, Bellarminus, Billuart, Goar. Daniel, Bougeant. ex separatis ipsis Karabinov. Qui enim supplicationes quoque tales, in quibus mutatio, transfiguratio et similia petuntur sensu praefato intelligunt, a fortiori nullam propriam epiclesim in iis precibus videbunt, ubi transmutatio non expetitur.

ex magna parte expositionem veterum (de corpore mystico vel de precibus perferendis) defendunt; *f*) quae antiquorum expositio vel similis aliqua sat communiter proponi consuevit sacrorum ordinum candidatis, ita ut nostra opinione pauci sint sacerdotes, qui recitantes hanc orationem de transsubstantiatione expetenda cogitant; ergo saltem *praxi Ecclesiae* explicatio modo laudata magis congruere videtur.

141. — Accedunt his rationibus externis probabilia quaedam *argumenta interna: a*) in non paucis aliis liturgiis orationes adsunt, in quibus expresse postulatur, ut sacrificium praesentetur, perferatur etc. *per angelos creatos* (1); *b*) *in liturgia Romana saec. V et VI* « angelus » plerumque intelligitur de *archangelo Michaële* (2); *c*) orationes aliarum quarundam liturgiarum, quae supplicationi « *Supplices* » *maxime* sunt *similes, non habent indolem epicleticam* (3).

Ceterum concedimus signa crucis, quae in liturgia nostra post consecrationem super corpus et sanguinem Christi fiunt, bene explicari posse *ut veras benedictiones*, si sufficienter comprobari posset liturgiam Romanam sive in supplicatione hac « *Supplices* » sive in alia oratione veram epiclesim habere. Sicuti enim non repugnat, ut consecratione iam facta ea adhuc per epiclesim petatur, ut illud declaretur et quasi ad oculos ponatur, quod iam peractum est, ita nil impedit, quominus corpus et sanguis Christi benedicantur, cum benedictio haec non « ad tempus quo fit », sed « ad tempus, pro quo facta esse intelligitur » referatur oporteat, ideoque eâ *non Christus benedicatur*, sed *dona creata* panis et vini. Quae explicatio hoc quoque commodi haberet, ut recte Hoppe animadvertit, quod omnia signa crucis in missa, sive ante consecrationem sive post eam fiant, *eandem significationem*. benedictionis scilicet, haberent.

Aliunde tamen nihil quoque repugnat, ut eadem signa ritualia in eadem actione liturgica vel in eodem sacrificio mox

(1) Lisowski 262, ubi liturgiae citantur; I. Brinktrine, *Zur Entstehung*, 322 (De liturgia Gallicana); Cieplak 58 (de liturgia Mediolanensi); Varaine 117; Batiffol, *La question*, 661. Cf. L. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, 186 ss. Supplicatio de perferendis precibus explicari potest, etiam si Angelus intelligatur Christus (ita Cieplak, Marković); vice versa explicatio de mutatione eucharistica non sustinetur, si supponitur angelus creatus.

(2) *Dictionnaire d'archéologie chrétienne*, I, 1, 1192.

(3) Varaine 117 ss.; Cieplak 62.

*hanc mox aliam significationem habeant,* ideoque ut signa crucis ante consecrationem sint benedictiones, post consecrationem autem symbola seu commemorationes passionis Christi, ut explicant veteres vix non omnes: Florus, Paschasius Radbertus, Remigius Antissiodorensis, Honorius Augustodunensis, Hugo a S. Victore, Guibertus Tornacensis, Bonaventura, Thomas Aquinas (1). *Difficultas* autem in illa explicatione, quae signa crucis veras benedictiones esse dicit, *non* plene *solvitur;* nam in rei veritate signa illa super Christum Dominum fiunt.

Ob rationes adductas sententiae communiori assentiendum esse putamus (2).

142. Quaestio *alia* quae de *liturgia Romana* movetur, est, utrum saltem antiquitus epiclesim stricte dictam sive formalem sive aequivalentem habuerit. Etiam ex iis, qui in hodierna forma liturgiae Romanae nullam epiclesim propriam inveniri putant, eam olim epiclesim continuisse censent aliqui; ita e. gr. A. Baumstark, qui immo affirmat nullum de hac re dubium esse posse (3).

*Argumenta* tamen, quae pro sententia tali afferri possunt, *non satis firma* apparent, et aliunde *mutatio* liturgiae quam opinio haec supponere debet, *parum probabilis* videtur. Sane provocatur aut *a*) ad *liturgiam Gallicanam*, quam aiunt in orationibus « *Post-mysterium* » et « *Post-secreta* » epiclesim continere, et a qua Romanam liturgiam dependere censent, cum ipsam Gallicanam *ab orientalibus liturgiis* oriri dicunt; aut *b*) ad verba papae Gelasii I, praesertim in *Epistula* ad *Elpidium:* « Nam quomodo ad divini mysterii consecrationem coelestis Spiritus invocatus adveniet, si sacerdos, et qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur? » (4).

(1) Adducuntur ab ipso Hoppe, o. c. 107.

(2) Ratio principalis, quod nihilominus auctores aliqui, pauciores quidem numero, aut in hac aut in alia oratione Canonis Romani epiclesim quandam inveniri censent, videtur esse opinio inferius adducenda de « necessitate quadam liturgica » similis alicuius orationis in s. liturgia, ut scilicet postulatio consecrationis in ipsis verbis dominicis iam implicite et pragmatice contenta etiam explicite liturgice exprimatur.

(3) *Le liturgie,* 11.

(4) Ml 59, 143; A. Thiel, *Epistolae Romanorum pontificum genuinae,* Braunsbergae 1867, I, 486; alium textum (*De duabus naturis*) v. Thiel, I, 530 ss.

143. — Sed *ad a*) *dicendum* est: 1) *nullo modo certum* esse liturgiam Romanam *ex Gallicana* ortam esse vel ab ea dependere; 2) *multas missas* liturgiae *Gallicanae* orationem epicleticam *non continere*; immo probabilem esse sententiam mox exponendam liturgiam hanc non habuisse epiclesim; 3) ea quae in utraque liturgia *maxime similia* sunt, *non* habere *characterem epicleticum*; 4) item elementa utrique liturgiae *communia non inveniri* in liturgiis *orientalibus* (1).

*Ad b*) *respondetur:* 1) *invocationem Spiritus sancti nequaquam* semper intelligi debere *de epiclesi* stricte dicta; immo neque de epiclesi latiore sensu, ut in sequenti paragrapho, ubi de testimoniis Patrum, ostendetur; 2) *neque* omnino *certum* esse Gelasium hic *liturgiam Romanam* prae oculis habuisse (2); ceterum 3) praeter testimonium hoc Gelasii, qui et ipse in epistula sua mere per incidens de invocatione Spiritus Sancti mentionem facit, apud auctores coaevos et anteriores *nullum aliud testimonium* de invocatione Spiritus S. habetur; neque enim Hippolytus neque Novatianus de tali invocatione sermonem faciunt, licet uterque de Spiritu Sancto eiusque operationibus loquatur.

*Uno saeculo a morte Gelasii* elapso epiclesis in liturgia Romana *non invenitur*. Dicendum igitur esset Ecclesiam Romanam eam eo tempore abolevisse. Sed *nullum* est de *tali correctione testimonium*, nullum alicuius *oppositionis* contra talem veteris traditionis mutationem signum. *Mutationes factae a Gregorio I*, qui tamen inter principales liturgiae Romanae reformatores numeratur, ex testimonio Libri Pontificalis non magnae erant (3). Ceterum *nulla sufficiens* ratio talis *mutationis* apparet, cum invocatio Spiritus Sancti in liturgia cum fide formam Eucharistiae esse verba dominica bene componi potest, ut infra videbimus.

144. — Breviter adhuc de aliis liturgiis occidentalibus dicendum est.

Si de antiqua **liturgia Mediolanensi** probaretur, quod epiclesim habuerit, *nil hoc iuvaret pro argumentatione separa-*

(1) Varaine 130 ss.; P. de Puniet, *Report of the 19 Euch. Congress*, 389.

(2) Varaine 124.

(3) L. Duchesne, *Les Origines*, 176; V. Beda, *Historia ecclesiastica*, l. 2, c. 1 (Ml 95, 80); Ioannes Diaconus, *Vita S. Gregorii*, l. 2, n. 17 (Ml 75, 94).

*torum*, cum nota sit fides huius ecclesiae per S. Ambrosium expressa consecrationem verbis dominicis perfici. Sed epiclesim aliquam fuisse in hac liturgia *nullo solido argumento* firmatur.

Neque Ambrosius *De mysteriis*, neque Ps.-Ambrosius, *De sacramentis* de ea mentionem faciunt, licet uterque data opera de mysterio altaris loquatur. Ps.-Ambrosius adducit orationes quae suo tempore post verba dominica in Canone recitabantur. Hae supplicationibus Romanis « Supra quae » et « Supplices » omnino similes sunt, sed expresse postulatur ut « oblatio suscipiatur per manus angelorum Dei » (1). In antiquissimo *Sacramentario ambrosiano* nullum apparet vestigium alicuius epicleseos (2); in *Missa pro Feria V Coena Domini* antiquae liturgiae a Pamelio editae (3) habetur post consecrationem oratio, qua fructus communionis digni expetuntur.

145. — Magnam *similitudinem* esse inter epicleses orientales et complures supplicationes **liturgiae Gallicanae** dictas « *Post-secreta* » vel « *Post-mysterium* » Canoni post verba dominica insertas, nemo negare potest. In iis plerumque postulatur, ut *Spiritus Sanctus* vel *Verbum descendant, infundantur, et dona assumantur vel benedicantur et sanctificentur, rore coelesti perfundantur, vel transformentur, transfigurentur, transmutentur*. Similitudo talis est, ut etiam ex iis auctoribus, qui negant epicleticam supplicationem in liturgia Romana inveniri, aliqui concedant epiclesim haberi in pluribus talibus supplicationibus liturgiae Gallicanae (4).

146. — *Duo exempla* adducantur, ubi maxime similitudo apparet. In *Missa XII* Missalis Gothici (In Assumptione sanctae Mariae Virginis) oratio « *Post-mysterium* » sonat (5): « Descendat, Domine, in his sacrificiis tuae benedictionis coaeternus et cooperator Paraclitus Spiritus, ut oblationem quam tibi de tua terra fructificante porregimus, coelesti permuneratione, te sanctificante, sumamus, ut translata fruge in corpore, calice in cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis ». In

(1) *De sacramentis*, l. 4, c. 6, n. 27 (Ml 16, 445).

(2) Magistretti, *Monumenta*, I, 194.

(3) Pamelius, *Liturgicon*, 340.

(4) Ita Franz, II, 183; Lisowski 243; Cieplak 8; Varaine 106; Russnak 49.

(5) Ml 72, 246.

*Missa III* ex undecim a F. I. Mone editis haec in oratione « *Post secreta* » petuntur: « Recolentes igitur et servantes praecepta unigeniti, deprecamur pater omnipotens, ut his creaturis altario tuo superpositis spiritus sanctificationis infundas, ut per transfusione coelestis adque invisibilis sacramenti panis hic mutatur in carne et calex translatus in sanguine, sit totius gratia, sit sumentibus medicina » (1).

147. — *Complures* tamen *Missae* Gallicanae *nullam orationem talem* continent; aut in supplicatione « *Post-secreta* » solum fructus digni sanctae communionis expetuntur. Ita in *Missa Natalis sancti Andreae apostoli* in Missali Gothico Liturgiae Gallicanae (2) petitur: « Recolimus te, Domine, passum pro mundi salute humilem, sed credimus subsistere semper in Genitore potentem: precamur, ut qui de altario tuo participamur, cum beatis apostolis in coelestibus gloriemur ».

Et simili modo commode de petitione digni fructus possunt et ab auctoribus citatis (3) *explicantur complures aliae eiusmodi orationes*. Et sane nulla apparet transmutationis postulatio, ubi mere petitur, ut *hostia spiritualis fiat*, nulla necessitas de transmutatione explicare verba « *sanctificare, benedicere* », item « *assumere, acceptare* »; praesertim cum sanctificatio et acceptatio haec ad sanctificationem et acceptationem sacrificiorum V. T. comparetur et assumptio per manus angelorum expostuletur (4). Immo *non desunt, qui omnes* illas supplicationes *hoc sensu explicari posse putant* (5). Quod difficile videtur esse in iis « *Post-secreta* » et « *Post-mysterium* », in quibus « *transformatio* » et « *transmutatio* » petitur, praesertim cum in eadem Liturgia in quadam *Missa* affirmetur Christum Dominum « panem et vinum in suum corpus et sanguinem transformasse » (6), et in *Allocutione ad populum* in ordinatione presbyteri Missalis Francorum sacerdos « potestatem corpus et sanguinem Christi transmutandi » habere dicitur (7).

(1) Ml 138, 869 (Menda grammatica sunt ex originali transcripta).
(2) Ml 72, 253.
(3) V. pg. 37, adn. 4.
(4) Brinktrine, *Zur Entstehung*, 322 ss.
(5) Ita Probst, *Abendländische Messe*, 318; Brinktrine, l. c.
(6) *Missale Gallicanum vetus*, In Feria V Coenae Domini (Ml 72, 357).
(7) Ml 72, 323.

Et non solum apud Paschasium Radbertum (1), sed adhuc apud Hugonem Lingonensem (2) verbum « *transformare* » et « *transfigurare* » in sensu mutationis eucharisticae occurrit.

148. — Nihilominus *neque illae supplicationes* « *Post mysterium* » et « *Post-secreta* », *quae mutationem* vel transformationem postulant, *necessario de mutatione eucharistica* sunt acceptandae, ut infra videbitur. Ceterum iterum notandum est: *Etiamsi ostenderetur* liturgiam Gallicanam epiclesim habuisse, constaret quidem supplicationem hanc etiam in Occidente satis dilatatam fuisse, *nullatenus* tamen *separatorum doctrina de epiclesi* ut forma Eucharistiae saltem partiali per hoc firmaretur. Quod enim iam a priori suadetur, scilicet supplicationem tantae varietatis in diversis missis (3) et saepe terminis sat indeterminatis compositam non esse formam sacramentalem, id indubitanter comprobatur ex *titulis supplicationis illius* « *Post-secreta* », « *Post-mysterium* », qui tituli consecrationem iam factam esse supponunt; et *ex tenore* plurium illarum precum, quae de corpore et sanguine Christi praesentibus in altari loquuntur. Ita in *Missa (LXXX) dominicali* Missalis Gothici: « Explentes sacrosancta caerimoniorum sollemnia ritu Melchisedech summi sacerdotis oblata, precamur mente devota te, Maiestas aeterna, ut operante virtute, panem mutatum in carne, poculum versum in sanguine, illum sumamus in calice qui de te fluxit in cruce ex latere » (4).

149. — Idem omnino valet de illis orationibus, quae in **liturgia Mozarabica** « *Post-pridie* » vocantur, et quibus post verba dominica prolata *Spiritus Sanctus* vel *Iesus Christus* expostulatur, ut descendant vel illabantur sacrificiis, ut ea *benedicant*, *sanctificent* et similia. In non paucis enim ex hisce orationibus manifeste enuntiatur iam corpus et sanguinem Domini in altari adesse (5). De significatione illarum precum *idem iudi-*

(1) *Liber de corpore et sanguine Domini*, XIV, 4 (Ml 120, 1319).

(2) *De corpore et sanguine Christi contra Berengarium* (Ml 142, 1329).

(3) Notum est discrimen inter liturgias orientales et liturgias occidentales, praesertim Gallicanam. Dum enim in singulis liturgiis orientalibus omnes fere partes omnino immutabiles manent in missis, in liturgia Gallicana sola recitatio Coenae cum verbis dominicis invariata manet, omnia alia pro diversitate missae mutantur.

(4) Ml 72, 317. — Similiter in *Missa LXXIX:* « hanc immaculatam hostiam, hunc panem sanctum » (Ml 72, 315).

(5) Exempla vide apud Cieplak 57.

*cium* ferendum esse videtur *sicut de supplicationibus* « *Post-secreta* » et « *Post-mysterium* ». Complures enim explicantur aut de postulatione fructus s. communionis aut de perferendis precibus offerentium ad Deum (1); immo non est improbabile omnes hoc modo explicari posse, sicut hoc diximus de precibus liturgiae Gallicanae (2).

150. — Censent aliqui **liturgiam,** quae saec. V **in Africa** in usu erat, epiclesim habuisse. Quod tamen *probari non posse* videtur *ex* AUGUSTINO, qui solum consecrationem « operante invisibiliter Spiritu Sancto » perfici affirmat (*De Trin.*, l. III, c. 4, n. 10), *neque ex* OPTATO, qui in sacrificio « Spiritum Sanctum postulatum descendere » scribit (*De schism. Donatist.*, VI, 1). FULGENTII testimonium (*Ad Monimum*, l. II, c. 6 ss.; Ml 65, 184) *de epiclesi stricte dicta* intelligi potest: considerandum est tamen ipsum Fulgentium hanc supplicationem *sic explicare:* « Cum ergo Sancti Spiritus ad sanctificandum totius Ecclesiae sacrificium postulatur adventus, nihil aliud mihi postulari videtur, nisi ut per gratiam spiritalem in corpore Christi, quod est Ecclesia, caritatis unitas iugiter indisrupta servetur... donum sibi caritatis et unanimitatis postulat a Deo conferri » (c. 9, 10; M. 187, 188).

151. — Ex omnibus, quae dicta sunt, nobis omnino concludendum videtur **epiclesim** stricte dictam sive formalem sive saltem aequipollentem **non in omnibus liturgiis** inveniri. Sententiam hanc esse saltem externe probabilem ob affirmationem tam multorum auctorum, nemo negare potest.

Sed quod caput est: *quidquid sit de quaestione, an epiclesis aliqua sit in omnibus liturgiis* necne: NEQUE EX TRADITIONE NEQUE EX RATIONE THEOLOGICA ulla solida ratione ostendi potest EAM ESSE FORMAM, saltem partialem, sacramenti Eucharistiae. Quod in sequentibus duobus capitibus demonstrandum erit.

(1) Iuxta CIEPLAK (58) 35 supplicationes « *Post-pridie* » ne speciem quidem epicleseos praeseferunt.

(2) Ita re vera preces illas explicat A. LESLEY in editione MISSALIS MIXTI (Romae 1755. Citatur apud Franz II, 184). — Hoc modo intelligenda esse videntur etiam ea, quae ISIDORUS HISPALENSIS scripserat de significatione « sextae orationis » Canonis: « Porro sexta exhinc succedit conformatio sacramenti, ut oblatio, quae Deo offertur, sanctificata per Spiritum Sanctum, Christi corpori ac sanguini conformetur » (*De ecclesiasticis officiis*, l. I, c. 15, *De missa et orationibus;* Ml 83, 753).

## Cap. II.

### *Patres non docent consecrationem per epiclesim vel nonnisi ea prolata fieri.*

152. — Ut demonstretur *Patres* epiclesim habere ut formam saltem partialem ss. Eucharistiae, NON SUFFICIT OSTENDERE Patres mirabilem transmutationem eucharisticam ATTRIBUERE OPERATIONI SPIRITUS SANCTI. Duo enim haec simul teneri et doceri possunt: consecrationem esse opus Spiritus Sancti, et eam perfici per verba dominica. Et re vera videbimus postea eosdem Patres, qui docent vim consecrativam verborum Domini, affirmare simul Spiritum Sanctum dona transmutare. NEQUE secundo PER SE SUFFICIT monstrare Patres DIXISSE CONSECRATIONEM FIERI PER PRECES, per precem, per INVOCATIONEM SPIRITUS SANCTI, per EPICLESIM. Omnia illa vocabula enim per se diversas significationes admittunt, et oportet ex contextu vel aliis rationibus comprobare de epiclesi propria et stricta sermonem esse. De hoc opportune monent CORBLET (1), BATIFFOL (2), CIEPLAK (3), VARAINE (4), RAUSCHEN (5), et merito a CORBLET exprobratur P. LE BRUN, a BATIFFOL BISHOP, quod ad hanc rem non attenderint. NON SUFFICIT tertio, ut ostendatur PATRES DOCUISSE EPICLESIM, etiam proprie et stricte dictam, s. liturgiae ESSE NECESSARIAM; quia posset esse necessaria non ad ipsum sacramentum conficiendum, sed necessaria necessitate quadam « liturgica » ad ea, quae per verba Domini facta sunt, quasi ad oculos demonstranda et evolvenda. Talem necessitatem « liturgicam » huius supplicationis re vera tenent aliqui theologi catholici, de quibus infra, ubi de explicatione epicleseos.

153. — Sed ut argumentum firmum et certum ex Patribus habeatur, tria HAEC DEMONSTRANDA sunt: *a*) PATRES in textibus, qui afferuntur, DE EPICLESI PROPRIE DICTA loqui; *b*) Patres affirmare CONSECRATIONEM aut per epiclesim fieri aut saltem NON HABERE LOCUM NISI EPICLESI PROLATA; *c*) adesse in hoc CONSENSUM Patrum.

(1) *Histoire* etc. 274.
(2) *La question* 641.
(3) O. c. 46.
(4) O. c. 22.
(5) *Eucharistie und Bußsakrament* 99.

Iamvero, certo certius *tertium* ex tribus hisce punctis *nullo pacto demonstrari* potest; nam fatentibus ipsis Orientalibus separatis *saltem nonnulli Patres* occidentales docent consecrationem per verba dominica fieri. Quaeritur igitur, *utrum saltem primum et secundum* punctum comprobari possit. Quodsi vere hoc demonstraretur, aliqua quidem difficultas oriretur contra doctrinam catholicam, *non* tamen haberetur *argumentum patristicum* pro opinione separatorum, ob defectum consensus Patrum.

154. — Sed imprimis *nihil* sane *certi* potest erui ex illis Patrum dictis, in quibus consecrationem *solum* in *genere* « **precibus** » vel « **orationi** » attribuunt. Antiquissima traditio saepe nullam determinatam formam ss. Eucharistiae in specie enunciat (1); sed etiam posteriores Patres aliquando solum in genere de « prece », « prece mystica », « precibus » etc. loquuntur.

Cyprianus de « *prece* », scribit (2), Eusebius Caesariensis de « *precibus et arcana quadam Dei appellatione* » (3), Athanasius de « *supplicationibus et postulationibus* » et « *magnis mirisque precibus* » (4), Cyrillus Alexandrinus simpliciter « *gratiarum actiones et laudes* » nominat (5). Sed adhuc Occidentales saeculi V et posteriorum simili modo loquendi utuntur. Ita Augustinus panem « *prece mystica* » consecrari affirmat (6),

(1) Lingens, *Die eucharistische Konsekrationsform* 53.

(2) Qui schismaticis obicit, quod « audent constituere aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere » (*de cathol. eccl. unitate c. 17;* CV III, 1, 226).

(3) « Ἀναίμους δὲ καὶ λογικὰς θυσίας τὰς δι' εὐχῶν καὶ ἀποῤῥήτου θεολογίας τοῖς αὐτοῦ θιασώταις, τίς ἐπιτελεῖν παρέδωκεν ἄλλος ἢ μόνος ὁ ἡμέτερος Σώτηρ; » (*De laud. Constant. c. 16*; Mg 20, 1425).

(4) « Ὅψει τοὺς λευΐτας φέροντας ἄρτους καὶ ποτήριον οἴνου, καὶ τιθέντας ἐπὶ τὴν τράπεζαν· καὶ ὅσον οὔπω ἱκεσίαι καὶ δεήσεις γίνονται, ψιλός ἐστιν ὁ ἄρτος καὶ τὸ ποτήριον· ἐπὰν δὲ ἐπιτελεσθῶσιν αἱ μεγάλαι καὶ θαυμασταὶ εὐχαί, τότε γίνεται ὁ ἄρτος σῶμα, καὶ ποτήριον αἷμα τοῦ κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ... Ἐλθωμεν ἐπὶ τὴν τελείωσιν τῶν μυστηρίων... ὅσον οὔπω εὐχαὶ καὶ ἱκεσίαι γεγόνασι, ψιλά εἰσιν· ἐπὰν δὲ αἱ μεγάλαι εὐχαὶ καὶ αἱ ἅγιαι ἱκεσίαι ἀναπεμφθῶσι, καταβαίνει ὁ Λόγος εἰς τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον, καὶ γίνεται αὐτοῦ τὸ σῶμα » (*Sermo ad baptizatos;* Mg 26, 1325).

(5) « Προσαναπέμποντες γὰρ τὰς εὐχαριστίας, καὶ ὁμοῦ τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ δοξολουγοῦντες τὸν Υἱὸν σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, πρόσιμεν οὕτω ταῖς ἁγίαις τραπέζαις » (*Comm. in Lucam 22, 19*; Mg 72, 908).

(6) « [Eucharistiam dicimus] illud tantum, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem » (*De Trinit. l. III, c. 4, n. 10*; Ml 42, 874).

Hieronymus (1) et Gregorius M. (2) de « *precibus* » vel « prece » loquuntur.

Immo « *prex mystica* » adhuc apud Isidorum Hispalensem occurrit (3).

Hisce textibus adhuc addi possent testimonia Origenis (4) et Gregorii Nysseni (5), qui consecrationem « *verbo Dei et orationi* » attribuunt. Licet enim aliqui auctores putent Origenem et Nyssenum per « verbum Dei » verba institutionis ss. Eucharistiae, per « orationem » epiclesim indicasse (6), tamen probabilius esse censemus utrumque scriptorem ad sacramenti huius formam generaliter solum innuere. Vice versa *non adducimus* hic celebre s. Iustini testimonium de consecratione « δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ » loquentis (7). Iustinum hic de prece eucharistica in genere vel de toto Canone loqui putaverunt quidem aliqui; probabilius autem esse censemus apud Iustinum primum testimonium pro sententia catholica inveniri: eo igitur in sequenti paragrapho in demonstranda catholica doctrina utemur.

155. — Ex testimoniis igitur, quae sic vago modo et generaliter de forma Eucharistiae loquuntur, *nihil pro opinione dissidentium* erui potest. Immo cum hac voce generali « precum » vel simili etiam ii auctores occidentales utuntur, quorum tem-

(1) « Quid patitur mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque efficitur » (*Epist. 146, ad Evangelum;* Ml 22, 1193).

(2) « Orationem vero dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent » (*Epist. 9, 12*; Ml 77, 956). De textu hoc adhuc infra agetur.

(3) « Sacrificium dictum quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur » (*Etymol. l. VI c. 38*; Ml 82, 255).

(4) « Τὸ ἁγιαζόμενον διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως οὐ τῷ ἰδίῳ λόγῳ ἁγιάζει τὸν χρώμενον· εἰ γὰρ τοῦτο, ἡγίαζε γὰρ ἂν καὶ τὸν ἐσθίοντα ἀναξίως τὸν ἄρτον τοῦ Κυρίου, καὶ οὐδεὶς ἂν διὰ τὸ βρῶμα τοῦτο ἀσθενὴς ἢ ἄρρωστος ἐγίνετο ». (*In Mt tom. XI, n. 14*; Mg 13, 948, 949).

(5) « Ἐκεῖ τε γὰρ ἡ τοῦ Λόγου χάρις, ἅγιον ἐποιεῖτο σῶμα, ᾧ ἐκ τοῦ ἄρτου σύστασις ἦν, ἐνταῦθά τε ὁσαύτως ὁ ἄρτος, καθὼς φησὶν ὁ Ἀπόστολος, ἁγιάζεται διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως... εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ Λόγου· ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου » (*Oratio catech. c. 37*; Mg 45, 97).

(6) Ita post Batiffol, *L'Eucharistie* 194 Varaine 25 et 41; qui tamen fatetur locum Nysseni obscurum esse.

(7) *Apol. I, c. 66* (Mg 6, 428).

pore iam sententia de verbis dominicis ut forma Eucharistiae in Occidente proponebatur, ut Hieronymus, Gregorius, Isidorus; cum ipse Augustinus, cuius sunt clara testimonia pro doctrina catholica, de « prece mystica » loquatur; cum insuper Cyrillus in textu allato et Cyprianus alibi (1) dicant sacerdotem ea imitari, quae Christus in coena ultima egerat, et coenam ultimam describentes sola verba dominica afferant, Eusebius autem in alio textu (2) affirmet discipulos ab ipso Christo « occultarum rationum signa et notas » accepisse: merito concludi poterit Patres et scriptores antiquos *voce* « *precum* » et similibus *potius verba dominica* quam quamcunque aliam orationem subintelexisse.

156. — Considerandi sunt nunc ii textus, in quibus de **invocatione** vel de **invocatione Sancti Spiritus** sermo est.

Patres aliosque scriptores antiquitatis ecclesiasticae *opus consecrationis* **Spiritui Sancto** adscribere nullum est dubium. Ad quod demonstrandum (omissis nunc omnibus testimoniis, in quibus sermo quidem est de « invocatione » sed aut nihil de consecratione dicitur aut Spiritus Sanctus non nominatur), afferri possunt ex *Orientalibus:* Cyrillus Hierosolymitanus (3), Gregorius Nyssenus (4), Ioannes Chrysostomus (5), Theophilus Alexandrinus (6), Cyrillus Alexandrinus (7), Proclus (8), Nilus Sinaita (9), fabulae de *Barlaam et Ioasaph* auctor (10), Eusebius Alexandrinus (11), Joannes Moschus (12), Anastasius Sinaita (13), Joannes Damascenus (14), *ex Occiden-*

(1) *Epist. 63, 1* (C. V. III, 2, 701).

(2) *Demonstr. evang. l. VIII c. 2* (Mg 22, 629): « τὰ σύμβολα τῶν κατ' αὐτὸν ἀπορρήτων τῆς καινῆς Διαθήκης λόγων τοῖς αὐτοῦ παρεδίδου μαθηταῖς ».

(3) *Catech. myst. 5, 7* (Mg 33, 1113, 1116).

(4) *In bapt. Christi* (Mg 46, 581).

(5) *De sacerd. III, 4* (Mg 48, 642).

(6) *Epist. pasch. 2* (Apud Hieron. Ml 22, 801).

(7) *Comm. in Lc 22, 19* (Mg 72, 908).

(8) *De tradit. divinae missae* (Mg 65, 849).

(9) *Ep. ad Phil. scholasticum* 44 (Mg 79, 104).

(10) *C. 19* (Mg 96, 1031).

(11) Apud Damascenum, *Sacra parallela, tit.* 29 (Mg 96, 302).

(12) *Pratum spirituale c. 25* (Mg 87, III, 2869).

(13) *Viae dux c. 23* (Mg 89, 298).

(14) *De fide orthodoxa IV, 13* (Mg 94, 1111).

*talibus:* Optatus Milevitanus (1), Gaudentius Brixiensis (2), Augustinus (3), Fulgentius (4), Gelasius (5), Isidorus Hispalensis (6).

157. — Sed inde *nihil adhuc in favorem doctrinae separatorum* sequitur, *nisi* simul monstretur Patres et scriptores illos ita *consecrationem* Spiritui Sancto attribuere, ut censeant eam *per epiclesim* seu invocationem Spiritus Sancti perfici vel nonnisi ea prolata fieri. Nam, ut notum est, consecratio Spiritui Sancto attribuitur communiter etiam a scriptoribus et theologis Latinis posterioribus, qui doctrinam de verbis dominicis ut forma ss. Eucharistiae indubitanter tenent; ita a Floro (7), Paschasio Radberto (8), aliis (9). Et re vera inter scriptores et Patres modo citatos ii inveniuntur, qui efficaciam verborum dominicorum expresse concedunt, ut auctor historiae Barlaam et Joasaph, Augustinus, Isidorus, vel merito eam tenuisse supponuntur, utpote quae eorum tempore saltem ibi, ubi scribebant, certe iam proponebatur, ut Gelasius et Fulgentius (10). Ii igitur ex testimoniis supra allatis sunt eliminandi. Amovenda sunt etiam ea testimonia, in quibus consecratio simpliciter Spiritui Sancto adscribitur, nihil tamen de eius invocatione innuitur, ut sunt verba Nysseni, Eusebii Alexandrini, Cyrilli Alexandrini, Joannis Moschi, Anastasii Sinaitae, Gaudentii, et iterum Augustini et Isidoris Hispalensis.

*Restant* igitur *solum textus* Cyrilli Hierosol., Joannis Chrysostomi, Theophili Alexandrini, Procli, Nili Sinaitae, Joannis Damasceni, Optati.

Quibus alia adhuc *adiunguntur sex testimonia*, in quibus « invocatio » seu « ἐπίκλησις » aliquo modo ad consecrationem

(1) *De Schism. Donatist. VI, 1* (Ml 11, 1065).

(2) *Sermo 2 de Exodo* (Ml 20, 858).

(3) *De Trin. l. III, c. 4, n. 10* (Ml 42, 874).

(4) *Ad Monimum l. II c. 6* (Ml 65, 184).

(5) *Epist. ad Elpidium* (Ml 59, 143).

(6) *Etymolog. l. VI, c. 38* (Ml 82, 255). — *De eccles. officiis I, 15, 3* (Ml 83, 752 ss.).

(7) *Adversus Amalar. II, 7* (Ml 119, 85).

(8) *Expos. in Mt. XXVI* (Ml 120, 1358 ss.).

(9) Exempla apud I. Geiselmann, *Die Eucharistielehre der Vorscholastik.* Paderborn 1926, pg. 76 ss.

(10) Qui insuper, ut supra vidimus (n. 150), invocationi Spiritui Sancti sanctificationem *corporis mystici* attribuit.

postulatur vel saltem in s. liturgia fieri affirmatur, quin tamen mentio Spiritus Sancti fiat, scilicet testimonia Irenaei (1), Firmiliani (2), Basilii (3), Didascaliae (4), Theodoreti Cyrensis (5), Caesarii Arelatensis (6); et *duo textus*, in quibus Spiritus Sanctus in altare invocari dicitur, quin de consecratione quid innuatur: ita apud Petrum Alexandrinum (7) et Ambrosium (8).

158. — Quaestio ergo nunc est, *quo sensu* vox illa « *invocatio* » vel etiam « *invocatio Spiritus Sancti* » in praefatis testimoniis sit intelligenda?

Sane invocatio seu ἐπίκλησις per se quamcunque orationem vel ritum significare potest, et usus vocis talis etiam in aliis religionibus occurrit, ita ut Drews originem eius ex paganismo repetierit (9). Adhibebant « epiclesim » gnostici saeculi secundi, et in s. Scriptura vox invocatio vel invocatio nominis Dei latiore sensu saepius occurrit (10). Et ipsi Patres, qui de epiclesi in s. liturgia eucharistica loquuntur, eandem vocem adhibent, *ubi de baptismo* vel *de benedictione aquae* loquuntur (11).

159. — His positis iam patet *non licere* vocem « invocationis » vel « ἐπικλήσεως » *de oratione illa liturgica*, qua formaliter vel aequivalenter consecratio expetitur, accipere, *nisi* hoc *ex contextu vel aliis rationibus* comprobetur.

Iamvero nulla omnino ratio suadet, ut de epiclesi accipiantur verba Firmiliani, qui (*epist. 75, 6*) narrat mulierem

(1) *Adv. haer. I, 13, 2* (Mg 7, 579); *Adv. haer. IV, 18, 5* (Mg 7, 1028).

(2) *Epist. 75, 10* inter Cyprianas (CV III, 2, 818).

(3) *De Spiritu Sancto 27, 66* (Mg 32, 188).

(4) *VI, 22, 2* (Ed. Funk 376).

(5) *Eranistes, Dial. II* (Mg 83, 168).

(6) *Hom. 5 de Pasch.* (Ml. 67, 1056).

(7) Apud Theodoretum, *Hist. eccl. IV, 19* (Mg 82, 1169).

(8) *De Spiritu Sancto l. III, c. 16, n. 119* (Ml 16, 803).

(9) *Epiklese* 414.

(10) Ioel 2, 32; Act 2, 21; 9, 14; 22, 16; Rom 10, 13; 1 Cor. 1, 2.

(11) Ita Origenes, In *Jo. tom. VI, n. 17* (Mg 14, 257); Basilius, *De Spir. S. c. 12, n. 28* (Mg 32, 116); Gregorius Nyssenus, *In bapt. Christi* (Mg 46, 585); Cyrillus Hierosol., *Cat. 3, n. 12* (Mg 33, 441); Theophilus Alexandrinus, *Epist. pasch. 2, 13.* (Apud Hier. Ml 22, 801); Joannes Damascenus, *De fide orth. IV, 9* (Mg 94, 1120); Ps.-Ambrosius, *De Sacr. II, 5, 14* (Ml 16, 427). Cf. quae ex ipsis liturgiis Orientalium afferuntur a Lisowski 310 et Marković 283.

quandam « invocatione non contemptibili » panem in corpus Domini consecrare tentatam esse; Irenaei, († cā 202) qui in uno loco (*Adv. haer. IV, 18, 5*) dicit panem suscepta « invocatione Dei » (ἄρτος προσλαμβάμενος τὴν ἔκκλησιν [recte ἐπίκλησιν] τοῦ θεοῦ) non esse amplius communem panem, in alio (*Adv. haer. I, 13, 2*) scribit Marcum haereticum sacrificare fingentem « in longum extendisse sermonem invocationis » (ἐκτείνων τὸν λόγον ἐπικλήσεως); Caesarii Arelatensis († 543), qui scribit sacra dona « invocatione sancti nominis consecrari » (*Hom. 5 de Pasch.*).

*Nullum* enim *argumentum* certum adduci potest tempore Firmiliani in Asia, tempore Irenaei et Caesarii in Occidente *epiclesim* in liturgia *fuisse*; immo nostra opinione in Occidente neque tunc neque postea fuit. Verba autem « invocatio », « invocatio nominis », « ἐπίκλησις » generalia sunt. « Invocatio » igitur in praedictis textibus intelligenda est de tota prece liturgica, in qua certe verba dominica includebantur; praesertim cum Irenaeus alibi (*Adv. haer. V, 2, 3*; Mg. 7, 1125) testetur panem et vinum Eucharistiam fieri « accipiendo verbum Dei » (ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία), et paulo ante eum Iustinus Romae sat clare vim consecrativam verborum dominicorum expresserit.

160. — *Non* potest *cum certitudine* statui, *utrum de epiclesi* propria, saltem aequipollente, locuti sint Petrus Alexandrinus († 381), Didascalia (ex medio saec. III), Theodoretus Cyrensis († 458) in Oriente.

Petrus (apud Theodoret., *H. E.* IV, 19) loquitur de « altari ubi Spiritus Sancti adventum expetimus » (τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου, ἔνθα κάθοδον τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπικαλούμεθα). Verba haec Varaine mira apparent in ore huius auctoris, cum usque ad illud tempus nullum sit Alexandriae vestigium epicleseos Spiritus Sancti, sed putat cum Baumstark potuisse eo tempore epiclesim ex Syria in liturgiam alexandrinam introductam esse. Nihil tamen dicit Petrus de efficacia consecratoria epicleseos.

In Didascalia, l. VI, c. 22, n. 2, sane consecratio « invocationi » tribuitur (« Eam, quae secundum regalis corporis Christi est, acceptam Eucharistiam offerte... panem mundum praeponentes, qui per ignem factus est, et per invocationem

sanctificatur »). Sed incertum est, utrum de epiclesi sermo sit, ut VARAINE (1) cum aliis confitetur.

161. — THEODORETUS (In *Eraniste, dial. II*) ut doctrinam orthodoxo et Monophysitae disputantibus in dialogo communem adducit, quod « symbola dominici corporis et sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur » (τὰ σύμβολα τοῦ Δεσποτικοῦ σώματός τε καὶ αἵματος, ἄλλα μέν εἰσι πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως, μετὰ δέ γε τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται). *Verba* « invocatio » nimis *generalia* sunt, et per se etiam verba dominica significare possunt. Licet certum sit eo tempore epiclesim in liturgia antiochena fuisse, tamen aeque certum est *Severum Antiochenum*, paulo post Theodoretum, *verbis dominicis* consecrationem *attribuere*, ut videbimus.

162. — Veram epiclesim innui ab OPTATO obiciente (*De schism. Donat VI, 1*) Donatistis, quod altaria Dei frangunt, « quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descenderit Spiritus Sanctus » putant BISHOP (2), VARAINE (3), et probabile habet CIEPLAK (4). Iure tamen de hoc dubitari licet. Et aeque valde dubium est, num de epiclesi loquatur AMBROSIUS (*De Spir. Sancto III, 16, 112*), ubi « invocationem Spiritus Sancti in oblationibus » commemorat. (« Quomodo igitur non omnia habet, quae Dei sunt, qui cum Patre et Filio in baptismate nominatur et in oblationibus invocatur »). Liturgiam Mediolanensem et Romanam nullam eo tempore habuisse epiclesim supra satis est probatum (5). Ceterum *neque Optatus neque Ambrosius* invocatione *consecrari* sacra dona *affirmant*; immo, quod praecipuum est, tum Ambrosius ipse, tum Augustinus tempore Optati doctrinam catholicam de forma ss. Eucharistiae iam profitentur. Idem iudicium et ex iisdem rationibus ferendum est de testimonio GELASII supra relato (6).

163. — **Basilium** de propria epiclesi locutum esse (*De Spir. S. 27, 66*; Mg. 32, 188) putant CIEPLAK (7); VARAINE (8); LINGENS (9);

(1) O. c. 92.
(2) *Note of the Moment* 142.
(3) O. c. 64.
(4) O. c. 42.
(5) Cf. n. 142 ss.
(6) Cf. pg. 35, adn. 4.
(7) O. c. 46.
(8) O. c. 39.
(9) *Die euchar. Konsekrationsform* 84, 85.

dum Lisowski (1), Russnak (2), Brinktrine (3), Karabinov (4) orthodoxus, vocem illam in textu Basilii de tota oratione liturgica intelligunt.

S. Doctor scilicet demonstrat non omnia credenda et observanda in Ecclesia ex Scripturis erui posse, sed *multa* haberi *ex traditione*. Et inter exempla adducit « verba invocationis in ostensione panis eucharistici », addendo nos in s. liturgia non iis solum verbis uti, quae in Scriptura sunt, sed alia « *ante et post* dicere, tamquam multum habentia momenti ad mysterium ». (Τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν; Οὐ γὰρ δὲ τούτοις ἀρκούμεθα, ὧν ὁ ἀπόστολος ἢ τὸ εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη, ἀλλὰ καὶ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχύν).

Cum s. Pater de iis loquatur, quae « *ante* » *et* « *post* » *verba* liturgica deprompta *ex ipsa Scriptura* in missa recitantur, videretur potius *totam orationem liturgicam* prae oculis habuisse; ex alia parte tamen utitur *termino* ἀνάδειξις epiclesi proprio. Certum tamen est: a) s. Basilium *verba dominica* ad consecrationem *omnino necessaria* et in s. liturgia praecipua habere; b) *non* dicere *consecrationem per epiclesim* vel nonnisi post eam fieri; immo neque epiclesim absolute esse necessariam, sed *solum* « *magni momenti* » esse ad mysterium. Quod verum esset, etiamsi epiclesis mere ad liturgicam consecrationis explanationem requireretur, ut fert sententia multorum catholicorum theologorum, vel solum propterea recitari deberet, ut sacra mysteria licite celebrari queant.

164. — Vere de epiclesi locutos esse Cyrillum Hierosolymitanum († 386), Theophilum Alexandrinum († 412), Ioannem Chrysostomum († 407), Nilum Sinaitam († cã. 430), Proclum († 446), Ioannem Damascenum († cã. 750) sat communiter affirmatur. Non tamen de omnibus aequaliter hoc certum est, ut videbimus.

**S. Cyrillus** describit (*Catech. myst. 5, c. 5 ss.*) s. liturgiam missae. Postquam c. 5 et 6 de gratiarum actione et laudibus (Praefatione et Sanctus) dixerat, c. 7 prosequitur: « Deinde, postquam nosmetipsos per has spirituales laudes sanctificaverimus, Deum

(1) O. c. 121 ss.
(2) Епиклизисъ 142.
(3) *Zur Entstehung* 498.
(4) Евхаристическая молитва 106 ss.

benignum exoramus, ut emittat Sanctum Spiritum super proposita, ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum verum sanguinem Christi. (Παρακαλοῦμεν τὸν φιλάνθρωπον Θεόν, τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα· ἵνα ποίηση τὸν μὲν ἄρτον σῶμα Χριστοῦ, τὸν δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ). Omnino enim, quodcunque attigerit Spiritus Sanctus, id sanctificatum et transmutatum est ».

165. — Cum s. Doctor paulo antea de *invocatione ss. Trinitatis* locutus fuerit (1), et cum invocationem statim post « Sanctus », *omissis verbis dominicis*, certe in liturgia Hierosolymitana eo tempore, recitatis adducat (2), dubium oriri posset, utrum de epiclesi proprie dicta locutus fuerit, et non potius *de tota prece liturgica* vel Canone. Sed aliunde *verbis* utitur praecise iis, *quae in epiclesibus* orientalibus occurrunt. Putat Varaine (3) Cyrillum forsitan erravisse attribuendo epiclesi mutationem eucharisticam. Sed cum s. Doctor verba dominica omittat, idque ob disciplinam arcani, ne scilicet profanis mysteria prodat, potius verbis illis vim consecrandi tribuere dicendus esset. Ceterum Cyrillus *solum affirmat epiclesim* in liturgia antiochena *extitisse* et consecrationem *Spiritui Sancto* tribuendam esse. Si quis inde deducit s. Doctorem sententiam Orientalium separatorum docuisse, iam *supponit epiclesim nullo alio modo explicari* posse, nisi ut orationem, qua postulatur, ut consecratio nondum facta per eam fiat; quod falsum esse in sequenti capite demonstrabitur.

166. — Theophilus Alexandrinus (*in epist. paschali 2*; apud Hieron., Ml 22, 801) contra Origenem, qui Spiritum Sanctum in res inanimatas agere non posse affirmat, arguit: « Quod asserens non recogitat aquas in baptismate mysticas adventu S. Spiritus consecrari, panemque dominicum, quo corpus Salvatoris ostenditur, et quem frangimus in sanctificationem nostram et sacrum calicem... per invocationem et adventum S. Spiritus sanctificari ». *De epiclesi* propria, ex qua verbum « ostendere » (ἀποφαίνειν) desumitur, sermonem esse *vix* ullum est *dubium*. *Non* tam *certum* est Theophilum *epiclesi transmutationem* eucharisticam *adscribere*, cum verba haec sat commode explicari possint eo modo, quo multi auctores, in sequenti capite

(1) *Cat. myst. 1, 7* (Mg 33, 1072).

(2) Inde aliqui inferunt epiclesim prius ante recitationem Coenae et verba dominica locum habuisse (Cf. n. 194).

(3) O. c. 38.

adducendi, omnem epiclesim explicant, scilicet Spiritum Sanctum expostulari, ut gratia sua corpus Christi et sanguinem iam mutata nobis ad salutem proficua efficiat.

167. — *De epiclesi* propria intelligenda esse videntur verba **s. Ioannis Chrysostomi** ita de dignitate sacerdotis (*De sac. VI, 4*; Mg 48, 681) loquentis: « Cum autem Spiritum Sanctum invocaverit, et horrendum illud sacrificium obtulerit... quo illum, quaeso, in ordine constituemus? » (Ὅταν δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καλῇ καὶ τὴν φρικωδεστάτην ἐπιτελῇ θυσίαν... ποῦ τάξομεν αὐτόν, εἰπέ μοι;). *Habebat* enim epiclesim propriam *liturgia antiochena* eo tempore, et *verba* s. Doctoris *ipsa* tali vocabuli acceptioni *favent.*

Viceversa *quae paulo ante* dixerat (*Sac. III, 4*; Mg 48, 642) de « *precibus* a sacerdote multo tempore fusis » in s. liturgia, « ut gratia in sacrificium delapsa per illud omnium animos inflammet » (Ἕστηκε γὰρ ὁ ἱερεύς, οὐ πῦρ καταφέρων, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ τὴν ἱκετερίαν ἐπὶ πολὺ ποιεῖται,... ἵνα ἡ χάρις ἐπιπεσοῦσα τῇ θυσίᾳ δι' ἐκείνης τὰς ἁπάντων ἀνάψῃ ψυχάς) *melius de orationibus liturgicis in genere* explicantur. In *neutro* tamen *ex his textibus* s. Doctor *docet epiclesim necessariam esse ad ipsam consecrationem* vel per eam sacra dona transmutari; sed verba Chrystomi eodem modo sicuti verba Theophili de fructu communionis vel de sanctificatione corporis mystici intelligi possunt. Praesertim cum *aliis in locis* s. Ioannes *vim consecratoriam verborum Domini* affirmet ita clare, ut Graeci in Florentino maxime ob auctoritatem tanti Doctoris sententiae catholicae acquieverint (1).

168. — *In homil. 50 in Mt, n. 3* (Mg 58, 507 ss.) Chrysostomus de debita praeparatione ad s. communionem loquitur, quae etiam in efficaci caritate proximi consistat oportet. Praeparatio et reverentia necessariae sunt, quia « nunc illa coena celebratur, in qua ipse recumbebat... Neque enim hanc homo efficit, illam Christus, sed hic ipse utramque. Quando igitur sacerdotem tibi praebentem vides, ne putes sacerdotem hoc facere; sed Christi manum esse, quae extenditur ». (Πιστεύσατε τοίνυν, ὅτι καὶ νῦν ἐκεῖνο τὸ δεῖπνόν ἐστιν, ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἀνέκειτο... Οὐδὲ γὰρ τοῦτο μὲν ἄνθρωπος ἐργάζεται, ἐκεῖνο δὲ αὐτός, ἀλλὰ καὶ τοῦτο κἀκεῖνο αὐτός. Ὅταν τοίνυν τὸν ἱερέα ἐπιδιδόντα σοι ἴδῃς, μὴ τὸν ἱερέα νόμιζε τὸν

(1) Cf. num. 109.

τοῦτο ποιοῦντα, ἀλλὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ χεῖρα εἶναι τὴν ἐκτεινομένην). Caritas proximi ad praeparationem requiritur, quia idem Christus, « qui dixit: Hoc est corpus meum, et verbo rem firmavit, idem ipse dixit: Esurientem me vidistis, et non nutrivistis » (Ὁ γὰρ εἰπών· Τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, καὶ τῷ λόγῳ τὸ πρᾶγμα βεβαιώσας, οὗτος εἶπε· Πεινῶντά με εἴδετε, καὶ οὐκ ἐθρέψατε).

S. Doctor igitur indicat *Christum* in ultima coena *verbis*: *Hoc est corpus meum consecrasse* (his verbis enim « rem confirmavit »), et dicendo in missa *idem sacrificium ab eodem Christo* celebrari sicuti tunc, *innuit* etiam nunc *sacerdotem per illa verba* consecrare.

169. — *Clarius* adhuc alibi (*In homil. 2 in epist. 2 ad Timoth., n. 4*; Mg 62, 612) affirmat eandem esse oblationem et eadem verba. (« Ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι... Ὥσπερ γὰρ τὰ ῥήματα, ἅπερ ὁ Θεὸς ἐφθέγξατο τὰ αὐτά ἐστιν, ἅπερ ὁ ἱερεὺς καὶ νῦν λέγει, οὕτω καὶ ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι, καὶ τὸ βάπτισμα, ὅπερ ἔδωκεν »). Et idem omnino dixerat iam in *hom. 1 de prodit. Iudae, n. 6* (Mg 49, 380): idem offerens, eadem verba, quae transmutant. (« Οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἀλλ' αὐτὸς ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν Χριστός. Σχῆμα πληρῶν ἕστηκεν ὁ ἱερεύς, τὰ ῥήματα φθεγγόμενος ἐκεῖνα, ἡ δὲ δύναμις καὶ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἐστιν. Τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, φησί. Τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταῤῥυθμίζει τὰ προκείμενα »).

170. — Mirum igitur cuique apparere debet Orientales separatos nihilominus auctoritatem Chrysostomi pro se invocare. *Provocant* scilicet ad *verba textum modo allatum immediate subsequentia*, ubi s. Doctor hac comparatione utitur: « Quemadmodum *vox illa*: *Crescite et multiplicamini* et replete terram (Gen 1 [28]), semel quidem prolata est, omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad filiorum procreationem: ita et vox haec [« Hoc est corpus meum »] *semel prolata* in Ecclesia ad unamquamque mensam, ab illo *ad hodiernum usque tempus* et usque ad adventum eius sacrificium perficit ». Quae verba post Nicolaum Cabasilam (1) orthodoxi communiter sic explicant: Sicuti *verbis illis*: *Crescite etc.* solum *facultas* hominibus data est generandi et *mandatum iniunctum* est sese propagandi, ipsa autem *generatio non per ea verba, sed per vim generativam* fit, ita *verbis illis*: *Hoc est* etc. solummodo *potestas* data est sacerdotibus

(1) *Sacrae liturgiae interpretatio c. 29* (Mg 150, 429 ss.).

consecrandi et *mandatum impositum* est sacrificium offerendi, *consecratio* autem fit *per epiclesim*. Quae explicatio tamen utpote *textui ipsi et doctrinae Chrysostomi* alibi expressae *opposita* communiter reicitur post Bessarionem (1) a catholicis auctoribus omnibus (2).

Et sane in tali explicatione *verba* illa in sacrificio nostro *proferre neque necessarium* esset. Sed Chrysostomus non solum a) affirmat saepe *verba* illa in missa *necessaria* esse; sed b) ex *identitate verborum identicum* esse *sacrificium* nostrum cum sacrificio Christi demonstrat; et c) *verba* illa *transmutationem* (« Τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταῤῥυθμίζει ») *perficere* docet. Confirmatur adhuc inde d) quod Chrysostomus efficaciam verborum in ss. Eucharistia *ad efficaciam formae baptismi* a Christo institutae comparat. Sed sane verba formae sacramenti baptismi per se efficacia sunt sine ulla epiclesi. — Igitur comparatione sua nihil aliud dicere voluit nisi quod *verba* sacerdotis utique *vim non haberent*, si *Christus* ea ut sacramenti formam *non instituisset* et sacerdotibus potestatem per ea consecrandi non dedisset.

171. — Ex Chrysostomi discipulis Nilus et Proclus de « adventu Spiritus Sancti » et de aliqua « invocatione » loquuntur. Nilus certe affirmat (*epist. 44, Philippo Scholast.*; Mg 79, 104) transmutationem demum post « *tremendas invocationes* » et « *adventum Spiritus Sancti* » locum habere (« μετὰ δὲ τὰς φοβερὰς ἐκείνας ἐπικλήσεις, καὶ τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ προσκυνητοῦ καὶ ζωοποιοῦ καὶ ἀγαθοῦ Πνεύματος οὐκ ἔτι ψιλὸς ἄρτος καὶ κοινὸς οἶνος »). Sed *utrum* his verbis *epiclesis proprie dicta* vel tota oratio eucharistica vel verba dominica intelligantur, cum plena certitudine *determinari non potest*.

172. — Proclo attribuitur *Tractatus de traditione divinae missae* (Mg 65, 849), cuius authenticitas tamen valde in dubium vocatur (3). Narrat Proclus apostolos, memores verborum Domini: « Hoc est corpus meum » et « Hoc facite in meam commemorationem », « fusissime longoque verborum ambitu missam

(1) *De sacram. Euchar.* (Mg 161, 506 ss.).

(2) Ita Lisowski 42 ss.; Cieplak 40; Lingens, *Die euchar. Konsekrationsform* 88 ss.; Varaine 48; Brinktrine, *Zur Entstehung* 499 ss.; Naegle, *Die Eucharistielehre* 123 ss.; Salaville, *Epiclèse* 239; P. de Puniet, *Les paroles* 44; Franzelin 77; Probst, *Die antiochenische Messe* 289; Franz I, 52 ss.; Marković 206 ss.; alii.

(3) O. Bardenhewer, *Patrologie*³. Freiburg i. Br. 1910, p. 239.

decantasse » (διεξοδικώτατα αὐτὴν [μυστικὴν ἱερουργίαν] ᾔδον), « multas preces decantasse, impense divinum implorantes Numen... precibus Spiritus Sancti accessum praestolatos esse, ut divina eius praesentia propositum in sacrificium panem et vinum permixtum aqua ipsum illud corpus ipsumque sanguinem Salvatoris nostri Iesu Christi ostenderet, consecratumque demonstraret ». (πολλὰς εὐχὰς ἔμελπον, τὸ Θεῖον ἐκλιπαροῦντες... διὰ τοιούτων τοίνυν εὐχῶν τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος προσεδόκων, ὅπως τῇ αὐτοῦ θείᾳ παρουσίᾳ τὸν προκείμενον εἰς ἱερουργίαν ἄρτον, καὶ οἶνον ὕδατι μεμιγμένον αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀποφήνῃ τε καὶ ἀναδείξῃ). Licet Proclus ipsis *verbis in epiclesibus usitatis* ἀποφαίνειν et ἀναδεικνύναι utatur, tamen « *multae preces* », « *longus verborum ambitus* » *de tota s. liturgia* intelliguntur. Et verba ἀποφαίνειν et ἀναδεικνύναι *non necessario de transmutatione* eucharistica explicari debere cum multis auctoribus ut probabile teneri potest.

173. — Provocant Orientis separati theologi omnes pro opinione suâ ad doctrinam **s. Ioannis Damasceni**, et praecipue ad *l. IV, c. 13 De fide orthodoxa* (Mg 94, 1140 ss.). Utrum merito provocent, nunc videndum est. Iuxta ea, quae supra diximus *argumentari non licet* inde, quod Damascenus saepius loco citato et alibi consecrationem eucharisticam dicit *opus Spiritus Sancti*. Quaeritur scilicet, quo modo Spiritus Sanctus iuxta s. Doctorem transmutationem perficiat.

174. — Loquitur Damascenus primo de sacrificio a Christo Domino in coena ultima oblato et nihil aliud nisi verba institutionis adducit (M 1140). Deinde de sacrificio nostro disserens iterum verba illa adducit, quorum vim ad vim verborum illorum: « Fiat lux » et « Producat terra herbam virentem » in creatione a Deo prolatorum comparat. Quod ita exponit: Cum sermo Dei sit vivus et efficax et Deus omnia, quaecumque voluit, fecerit, et solo verbo initio omnia creaverit, et cum per verba *in principio dicta*: « *Producat terra herbam virentem* », haec terra ad hanc usque diem, *accedente imbre*, divino praecepto impulsa et roborata, fetus suos proferat: *ita etiam dictis a Deo verbis*: « *Hoc est corpus etc.* », et: « *Hic est sanguis etc.* », et: « *Hoc facite in meam commemorationem* » omnipotenti eius praecepto, donec veniat, sacramentum efficitur *per invocationem huiusce novae segeti imbre superveniente*; *Spiritus Sancti* nimirum obumbrante virtute. (« Εἶπεν ἐν ἀρχῇ· Ἐξαγαγέτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου, καὶ μέχρι τοῦ νῦν

τοῦ ὑετοῦ γενομένου, ἐξάγει τὰ ἴδια βλαστήματα, τῷ θείῳ συνελαυνομένη καὶ δυναμουμένη προστάγματι. Εἶπεν ὁ Θεός· Τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα· καὶ. Τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα· καὶ· Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν· καὶ τῷ παντοδυνάμῳ αὐτοῦ προστάγματι, ἕως ἂν ἔλθῃ, γίνεται... καὶ γίνεται ὑετὸς τῇ καινῇ ταύτῃ γεωργίᾳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως, ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπισκιάζουσα δύναμις ». M 1140, 1141).

Quae verba *a separatis* communiter sic exponuntur: Sicuti verbis: « Producat terra etc. » Deus tunc quidem plantas creavit, sed pro futuro solum voluntatem suam ostendit, ut terra semper frugifera maneret, et terrae hanc vim tribuit, ipsa tamen seges nunc non oritur neque crescit per illa verba, sed per imbrem continuo mittendum, ita *verbis illis: « Hoc est etc. »* Dominus quidem *tunc consecravit*, sed *pro futuro solum mandatum* dedit, ut sacrificium hoc continuo repetatur et facultatem sacerdotibus impertiit consecrandi, ipsa *consecratio* autem *nunc* non fit per verba illa dominica, sed *per invocationem Spiritus Sancti.*

175. — Quam explicationem tamen communiuś reiciunt auctores *catholici* (1) et plerumque sensum Damasceni *ita explanant:* Sicuti verbis: « Producat terra etc. », Deus creavit et terram frugiferam effecit, ita ut etiam nunc, superveniente sane imbre, vi verborum illorum continuo fetus suos proferat, similiter *Dominus per verba: « Hoc est etc. » consecravit* et sacerdotibus *potestatem dedit,* ut consecrent, superveniente utique et *operante Spiritu Sancto,* quem *invocare debent.* Sed *invocatio* fit praecise *dum verba* illa *dominica* supra dona proferuntur.

Haec explicatio *probabilior* est quam explicatio separatorum. Nam certe *a*) *vox* « invocationis » talem *sensum habere potest,* ut ex supradictis elucet; *b*) *tali sensu* vocabulum adhibent *multi ex* iis *Patribus*, qui formam sacramenti verba dominica esse docent, epiclesim propriam non cognoscunt vel non commemorant et nihilominus de « invocatione » loquuntur; *c*) *Damascenus* ipse in c. 9 l. IV *De fide orthodoxa* (M 1120) *formam baptismi « invocationem »* vocat; *d*) iuxta explicationem separatorum *alia forma Christum consecrasse,* alia nos consecrare doceret Damascenus; qui tamen scribit Dominum *praescripsisse nobis, ut idem faciamus,* quod ipse fecerit; *e*) in

(1) Cieplak, 45; Marković, 153; Lisowski, 179 ss.; Lingens, *Die eucharistische Konsekrationsform,* 91 ss.; et alii.

explicatione separatorum *neque necessarium esset* verba dominica *proferri* a sacerdote, quod certe communi persuasioni Patrum et liturgiarum repugnat; *f*) in explicatione theologorum catholicorum doctrina Damasceni *consentit doctrinae* illorum *gravium Patrum*, qui verbis dominicis vim consecratoriam attribuunt, et praesertim cum doctrina s. Ioannis Chrysostomi supra a nobis explicata; *g*) magis in hac explicatione apparet « *sermonem Dei vivum esse et efficacem* ».

176. — Oritur tamen contra expositionem modo laudatam *difficultas* ex ipsis verbis subsequentibus s. Doctoris. Demonstrando scilicet ss. Eucharistiam non posse dici ἀντίτυπα corporis et sanguinis Christi obicit sibi nonnullos, inter quos *Basilium*, dona sacra *appellasse* re vera ἀντίτυπα; et respondet: *non* hoc *post consecrationem* dixerunt, sed antequam oblatio ipsa consecraretur. Cum autem in liturgia s. Basilii post verba dominica et ante epiclesim sacra dona re vera ἀντίτυπα vocentur (1), putant aliqui auctores catholici *s. Ioannem errasse*. Ita S. Salaville (2), M. Jugie (3), I. Brinktrine (4). Varaine scribit non posse errorem Damasceni stricte demonstrari, putat tamen eum inconscie traditionem orientalem mutasse et errori ansam dedisse (5). *Alii* autem orthodoxiam ultimi ex Patribus orientalibus *defendunt* (6).

177. — *Vox* ἀντίτυπον, quae vi vocabuli significat quidem « figuram, sed quae non excludit ex toto realitatem rei per ipsam significatae » (7), sane *multiplici vero et orthodoxo sensu* potest adhiberi de pane et vino iam consecrato seu de ss. Eucharistia et re vera adhibita est a Patribus (8) Hoc certe *la-*

(1) Brightman I, 405, 406.

(2) *Epiclèse* (*Dictionnaire de théologie*), 250; *L'épiclèse d'après S. Jean Chrysostome* (*Echos d'Orient*, XI, 109).

(3) *L'epiclèse et le mot antitype* (*Echos d'Orient*, IX, 196).

(4) *Zur Entstehung*, 501.

(5) O. c., 57, 58.

(6) Ita praeter auctores paulo antea citatos (pag. 55, adn. 1) Russnak, o. c., 148 ss., et M. de La Taille, *Mysterium fidei*, 439. Modo non recto utique defendebat olim s. Doctorem Arcudius (*De concordia*, 307) genuinitatem huius textus negando.

(7) Varaine, 53.

(8) Diversos modos, quibus vocabulum recte et orthodoxe de ss. Eucharistia adhiberi potest et re vera a Patribus et scriptoribus Ecclesiae adhibitum est vide apud Lisowski, 187 ss.; M. de La Taille, 445; et iam apud *Mg 94, 1152*, adn. 87.

*tere non potuit Damascenum*, qui paulo *inferius ipse* dicit ss. Eucharistiam esse ἀντίτυπα futurorum (« Ἀντίτυπα δὲ τῶν μελλόντων λέγονται... σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ », M 1153). Proprie igitur ad obiectionem s. Doctor respondere debuisset vocem ἀντίτυπον nequaquam excludere realitatem corporis et sanguinis eucharistici. Sed quia menti s. Patris, de refellenda et *oppugnanda haeresi Iconoclastarum* solliciti, statim vox illa in sensu illo occurrit, quo adversarii ea abutebantur, sensu, inquam, merae puraeque figurae, continuo respondet: *Si aliqui hoc sensu* vocem adhibuerunt, certe solum *ante consecrationem* hoc facere potuerunt. Et citat nomen Basilii, forsitan quia adversarii ad eum provocabant. *Non est* tamen *certum* eum *liturgiam S. Basilii* prae oculis habere, licet Graeci omnes hoc modo postea vocem illam in liturgia explicabant ad Damascenum quoque provocantes. Ex hisce verbis igitur s. Doctoris quasi *per transennam* dictis et de quibus ne certe quidem constat, quod liturgiam s. Basilii respiciunt, non videtur adhuc cum certitudine demonstrari posse explicationem sententiae eius supra laudatam rectam non esse vel illum sententiam separatorum professum esse.

178. — Ex omnibus, quae hucusque in praesenti capite disputata sunt, patet non solum subscribendum esse VARAINE affirmanti (1) *nullum dari certum testimonium patristicum pro opinione separatorum usque ad s. Ioannem Damascenum*, sed dicendum est insuper *nullum Patrem* aut scriptorem antiquitatis ecclesiasticae, *Damasceno incluso*, pro illa opinione iure invocari posse.

Si adhuc additur *nullum ex Patribus*, neque Basilium et Ambrosium, in pugna contra adversarios *divinitatem Spiritus Sancti ex efficacia epicleseos* probare, et *Patres nonnullos explicite efficaciam verborum Domini* docere, iam usque ad evidentiam comprobatum est **sententiam** theologiae **Orientis separati nullo solido argumento** firmari **ex Patribus.**

179. — **In duplici falsa suppositione** dumtaxat potuerunt Orientales non catholici pro se invocare Patres: *a*) supponendo Patres **de propria epiclesi** loqui, quotiescunque « invocationis » mentionem faciunt; *b*) eos iam eo **ipso quod** epiclesim in s. liturgia **adesse testantur, per eam consecrationem fieri** do-

(1) O. c., 58.

cuisse; **quasi** scilicet epiclesis **nullo alio modo explicari posset** nisi ut supplicatio pro consecratione nondum facta et per eam perficienda.

Prioris suppositionis falsitas ex praesenti capite satis superque apparet; restat nunc, ut in capite sequenti alterius suppositionis error ostendatur.

## Cap. III.

### *Epiclesis etiam stricte dicta haud necessario ut postulatio consecrationis nondum factae explicanda est.*

180. — Sane, praeter explicationem illam epicleseos modo commemoratam, quod sit scilicet supplicatio pro consecratione nondum facta, sed per eam facienda, diversis aliis modis sensus orationis huius exponi potest, et dantur re vera multae aliae explicationes theologorum (1).

Posset dici orationem hanc vere expetere consecrationem nondum factam et per eam faciendam, eam tamen *erroneam* esse ideoque ex liturgia expungendam. Posset explicari oratio haec ut postulatio non « ut corpus Christi et sanguis simpliciter fiant », sed « *ut nobis fiant* esca et potus salutaris », seu ut postulatio non consecrationis, sed *dignorum fructuum communionis*.

181. — Et iterum talis explicatio *posset restringi* aut ad illas solas orationes, quas epicleses lato sensu aliqui dicunt, ut sunt e. gr. multae orationes « *Post-secreta* » liturgiae gallicanae vel « *Post-pridie* » liturgiae mozarabicae et aliquae orationes epiclesi propriae similes supra memoratae (2); vel posset explicatio talis *extendi etiam ad proprias epicleses*, in quibus de « mutatione », « transfiguratione » vel etiam de « fieri » corporis et sanguinis Christi sermo est. Et ulterius hoc aut ita intelligi posset, quod re vera etiam vocibus « mutationis » et similibus nil aliud exprimatur nisi ut corpus et san-

(1) Notandum est vocem « epicleseos » in hoc capite, ubi diversae explicationes epicleseos dabuntur, plerumque sensu latiore sumi de orationibus similibus, in quibus tamen directe transmutatio non expostulatur; quia hoc sensu à multis theologis hic adducendis sumitur.

(2) Cf. n. 133, 143.

guis Christi quodam sensu « *nobis mutentur* », vel « nobis fiant », id est ut sacra dona gratia Spiritus Sancti quasi denuo sanctificata et benedicta nobis proficua ad salutem eveniant; aut posset dici voces tales *postea in epicleses irrepsisse;* seu epicleses, quae originaliter solum dignum fructum communionis expetebant, decursu temporis mutatas esse, sive hoc per verum errorem factum sit sive solummodo, quia sensus primitivus orationis non satis attenderetur.

182. — Posset tandem supplicatio haec exponi tamquam ea, per quam vere *consecratio petitur, quae tamen iam per verba Domini facta est;* ita ut postulatio igitur tantum fiat, ut id, quod factum est, liturgice declaretur, explicetur, quasi *ad oculos ponatur*. Et iterum posset talis expositio aut ad eas solas *epicleses strictas* et formales *restringi,* in quibus expressis verbis petatur « transmutatio » vel « fieri » corporis et sanguinis; aut *ad omnes similes orationes extendi,* ita ut etiam petitio « benedictionis », « acceptationis », « assumptionis » non sit nisi petitio consecrationis. Et posset adhuc affirmari talis postulationis quaedam « necessitas liturgica », ita ut aliqua ratione in omni liturgia esse debeat.

183. — *Unaquaeque* ex his opinionibus suos *fautores invenit.* Ad **tres classes** reduci solent diversae hae expositiones vel, ut aiunt, « theoriae » : **theoria historicae evolutionis** seu historica, quae epiclesim explicat ut supplicationem per mutationem ex alia oratione alium sensum habente ortam; **theoria communionis,** quae dicit epiclesi postulari solum dignos fructus communionis seu non expeti consecrationem corporis physici Christi, sed sanctificationem corporis mystici eius; **theoriam liturgicae explanationis,** quam etiam « dramaticam » appellarunt, iuxta quam in hac supplicatione liturgice illud evolvitur et quasi dramatice ad oculos ponitur, quod tempore consecrationis per verba Domini factum erat.

Quia prima ex hisce explicationibus non tam sensum quam solum originem epicleseos explicat, et quia etiam multi ex defensoribus « theoriae communionis » mutationem vel evolutionem quandam huius supplicationis admittunt, possumus priores duas sententias in unum iungere, et tractare *primo* de opinione illa epiclesim ut orationem COMMUNIONIS explicante, *deinde* de theoria LITURGICAE EXPLANATIONIS.

184. — Non potest denegari « **theoriae communionis** » solida probabilitas externa ob magnum numerum auctorum gravium, qui huic sententiae adhaeserunt. Inter quos numerantur: L. Allatius, P. Arcudius, I. A. Assemani, Rob. Bellarminus, Bessario, C. R. Billuart, P. Bougeant, P. Cagin, Card. Cienfuegos, I. Cieplak, H. Daniel, I. Goar, Card. Lugo, F. Probst, N. Russnak, P. Smolikowski, F. Suarez, I. Turrecremata cum Patribus synodi Florentinae, M. Vasquez, et alii. Qui auctores in operibus suis supra citatis aut hanc solam explicationem afferunt aut eam simul cum aliis, quas aeque probabiles censent, proponunt. Ex antiquioribus orientalibus citantur pro hac sententia Ioannes Maro vel quicunque sit auctor Syrus, qui scripsit expositionem Liturgiae s. Iacobi (1); ex ipsis Orientalibus separatis explicationem hanc accipit theologus Graecus Georgius Coressius (2) et theologi Russi Innocentius Gizelj (3), Theodosius Safanovič (4), I. Karabinov (5).

185. — Explicatio Card. Cienfuegos utique cohaeret cum singulari eius *sententia de sacrificii missae essentia*. Consistit scilicet sacrificium iuxta hunc auctorem in eo, quod Christus qui in Eucharistia modo miraculoso vitam sensitivam retinet, postquam consecratione peracta aliquos vitae corporis actus elicuerat, hanc vitam suam actualem « immolat solus et simul offert; quatenus actus vitales miraculose productos imperio suae voluntatis humanae suspendat, sive removeat decernatque non elicere ulteriorem actum » (6). Per epiclesim igitur « invocatur Spiritus Sanctus postulaturque eius adventus, ut efficiat vivens corpus Christi Domini in actu secundo. Ac proinde deprecatio in liturgiis reperta non eo tendit, ut Spiritus Sanctus efficiat panem et vinum corpus et sanguinem... sed ut quasi suscitet illud aut vivificet » (7). Quam vitam actualem Christus eucharisticus in mixtione corporis et sanguinis resumit.

(1) Cf. Lisowski o. c. 298.
(2) Apud Cieplak, o. c., 68; Russnak 203, 204.
(3) Миръ съ Богомъ. Kijev 1669 (apud Cieplak, 69).
(4) Apud Cieplak, 69.
(5) O. c., 120 ss.
(6) *Vita abscondita*, 359.
(7) *Ibidem*, 389.

186. — Apud ceteros tamen auctores citatos explicatio epicleseos a nulla determinata opinione de sacrificii eucharistici essentia dependet.

Omnes igitur theologi illi in eo conveniunt, quod per epiclesim petitur, ut Eucharistia virtute Spiritus Sancti *producat in nobis fructus*, ad quos efficiendos instituta est, vel « ut fiat nobis in vitam aeternam » (1). Quod diversi auctores *diversa ratione*, vel potius solum diversis verbis exprimunt. Aliqui attendentes praesertim ad *terminum* ἀποφαίνειν, *ostendere*, in epiclesibus occurrentem, scribunt Ecclesiam postulare Spiritum Sanctum, « ut dona sacra in corpus et sanguinem transversa populo manifestet atque declaret » (2), vel « ut [panem et vinum] corpus et sanguinem esse ipsius Domini Nostri Iesu ostendat et faciat, ut sint percipientibus ea in remissionem peccatorum et in vitam aeternam » (3), vel « ut ostendat istum panem sanctificatum non esse panem vulgarem, sed coelestem » (4). Idem alii ita exprimunt, quod non petitur consecratio corporis physici, *sed sanctificatio corporis mystici* Christi. Petimus « sanctificationem fidelium per Eucharistiam, virtute et gratia Spiritus Sancti efficiendam et promovendam » (5), petimus ut « corpus Christi nobis vivificum fiat » (6), ut « corpus Christi verum nos transmutet in corpus mysticum » (7).

Paulisper alio modo I. Scheeben (8). In supplicatione hac videt oblationem sacrificii ex parte Ecclesiae et petitionem, *ut a Deo benigne acceptetur*; et eum sensum re vera videntur habere eoque sensu etiam ab aliis huius sententiae defensoribus intelliguntur non paucae orationes « *Post-secreta* », necnon oratio « *Supplices* » liturgiae Romanae.

187. — Et *comprobare* solent auctores huius explicationis sententiam suam praecise ex diversis illis liturgiarum supplicationibus, quas *epicleses lato sensu* nominavimus et in quibus, saltem si sensu obvio verborum stamus, solum fructus digni

(1) I. Turrecremata in *Conc. Florent.* (Mansi 31 B, 1687).
(2) Daniel, IV, 412.
(3) Assemani, V, p. 362.
(4) Bellarminus, *De sacr. Eucharistiae*, IV, 14, p. 426.
(5) Cieplak, 66.
(6) Bougeant, II, 251.
(7) Smolikowski, 374.
(8) *Studien über den Meßkanon.* (*Katholik*, 1866, II, 679 ss.).

s. communionis vel sanctificatio corporis mystici postulatur (1). Quae orationes in ipsis missis praesanctificatorum inveniuntur (2).

Et certe, *si solum ad has epicleses* latiore sensu dictas talis explicatio restringitur, *nullam* habet *difficultatem*, immo posset cum Bellarmino vocari haec « solutio omnium solidissima » (3).

188. — Sed quaestio est, *utrum* applicari possit explicatio haec *ad eas quoque* supplicationes, in quibus *vera transmutatio* petitur. Illae enim, ut ex exemplis constat, manifeste *ex duabus partibus componuntur*: in secunda petitur re vera fructus dignus communionis, in prima autem postulatur, saltem si verba sensu obvio sumuntur, *ipsa consecratio* (« ut panis corpus Christi fiat », ut « Deus eum corpus Christi efficiat », « in corpus transmutet » et similia).

*Non iuvat* certe textum epicleseos *parenthesibus* interiectis ita accommodare, ut sensus sit: petimus, ut efficias panem hunc, qui est (factus est) corpus Christi, nobis in salutem. Ita epicleseos textum quondam Scipio Maffei accommodare voluit: « καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον [σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου], καὶ ποτήριον τοῦτο [αἷμα τίμιον τοῦ Χριστοῦ σου], ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ». Tales enim parentheses arbitrario in textum inseruntur, cum in nulla liturgia ponantur; ceterum hoc modo una vel alia epiclesis, non autem omnes accommodari possent (4).

189. — *Neque iuvat* dicere participium μεταβαλών in quibusdam epiclesibus occurrens *postea invectum* esse in s. liturgiam, illudque habere sensum praeteriti (ἵνα ποιήσῃς μεταβαλών = ut efficias, postquam iam transmutaveras). Verum quidem est vocabulum hoc posteriore demum tempore in s. liturgiis occurrere (5); sed *non ob hanc solam vocem*, quae non in omnibus epiclesibus adest, censetur epiclesibus expostulari consecratio, sed maxime ob verba ποιεῖν, γίγνεσθαι et similia. Ceterum parti-

(1) Cf. n. 133, 143.

(2) P. Benedictus, *Antirrheticon*, 43.

(3) O. c. IV, 14.

(4) Stieren, *Dissertatio apologetica de fragmentis Irenaei anecdotis deque oblatione et consecratione veterum eucharistica adversus Scipionem Maffeium*. (Apud Lisowski 53).

(5) Russnak 41 ss.; Baumstark, *Le liturgie* 21. — Concedit hoc ipse Theodorus Andidensis loco supra (p. 17, adn. 1) citato.

cipium aoristi, si imperativo vel coniunctivo iungatur, exprimere solet actionem contemporaneam actioni per imperativum vel coniunctivum indicatae (= ut efficias transmutando).

190. — Quare communius auctores, qui « theoriam communionis » ad omnes species epicleseos extendunt, dicunt per has supplicationes postulari quidem *mutationem vel effectionem*, sed non proprie panis et vini in corpus et sanguinem, sed corporis et sanguinis in *escam et potum salutarem pro nobis*. Petitur, « non ut fiat corpus Christi physice et absolute, sed ut fiat moraliter, id est, ut fiat salutare communicantibus » (1); postulatur, « ut transmutet corpus verum in corpus mysticum Christi » (2). « Consideratur igitur ipse Christus, sub donis iam mutatis praesens, novae, ut ita dicam, mutationi subiacere, dum nostri causa Spiritus Sancti donis de novo augetur et cumulatur » (3).

191. — *Alicui epiclesi* haec explicatio *bene quadrat*. Ita in epiclesi liturgiae Constitutionum apostolicarum legitur:

« Καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου Πνεῦμα... ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου... ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ βεβαιωθῶσιν πρὸς εὐσέβειαν » (4).

Hic igitur per ipsam differentiam coniunctionum (ἵνα, ὅπως) indicatur scopum mutationis esse fructum salutarem percipientium.

In Liturgia s. Iacobi quidem haec distinctio particularum coniunctivarum non habetur; sed quia bis ἵνα ponitur sine particula « et », eadem subordinatio mutationis ad sanctificationem nostram indicatur.

« Τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον κατάπεμψον... ἵνα... ποιῇ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον σῶμα ἅγιον Χριστοῦ... ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν » (5).

In *aliis liturgiis* autem talis *subordinatio non habetur*.

192. — *Duplex* igitur inde *obiectio* contra dictam explicationem fieri posset: *a*) eam non satis *sensum obvium* verborum servare. Nam verba « mutare, transmutare » etc. sensu proprio transsubstantiationem eucharisticam significant; immo etiam

(1) Billuart V, 2, p. 142.

(2) Smolikowski 374. — Similiter sicut hi duo etiam Bougeant, Cagin, Goar aliique defensores sententiae huius.

(3) Goar 142.

(4) Brightman I, 21.

(5) *Ibid.* 54.

verba « transfigurare, « transformare' » et his similia ab auctoribus Latinis posterioris quoque temporis pro consecratione adhibentur, ut supra vidimus (1); *b*) eam, ut observant e. gr. Touttée (2) et Salaville (3), « *privare Ecclesiam* luculentissimo, antiquissimo et constantissimo *transsubstantiationis testimonio* ».

Quae duae rationes non videntur quidem sufficere, ut sententia haec tamquam improbabilis relinquatur. *Si* nimirum *sensus obvius nimis premeretur*, dicendum forsan esset supplicatione hac *expostulari*, ut consecratio *nondum facta perficiatur*, ideoque opinionem Orientalium dissidentium esse accipiendam. Deinde verum quidem est, *quod* ex oratione hac modo nunc dicto explicata *non liceret* amplius *argumentari* pro doctrina de reali praesentia Christi et transsubstantiatione (nisi utique argumento ad hominem, pro iis nempe, qui epiclesim ut postulationem consecrationis agnoscunt). Hoc tamen *non potest esse ratio*, ut sententia aliunde probabilis reiciatur.

193. - Nihilominus *auctoritas tot theologorum*, qui olim ex epiclesi re vera pro veritate catholica transmutationis eucharisticae argumentabantur et adhuc argumentantur, aliquam difficultatem contra praesentem opinionem facit.

Reponunt igitur multi *aliquam mutationem vel innovationem* factam fuisse temporis decursu in hac supplicatione. *Associantur* igitur, qui ita loquuntur, aliquo modo auctoribus opinionis sic dictae « *evolutionis historicae* », dicentibus epiclesim sese evolvisse vel ortam esse mutatione ex oratione vel alia vel alium paulisper sensum habente. Fautores tamen illius theoriae « evolutionis historicae » plerumque « theoriae communionis » non adhaerent; ad explicandam enim hodiernam formam epicleseos strictae, aut ad « theoriam explanationis liturgicae » postea fusius a nobis tractandam recurrunt, aut epiclesim stricte dictam simpliciter erroneam esse censent. Aliqui tamen ex iis probabilitatem opinionis in praesenti discussae (« theoriae communionis ») concedunt. Nominari possunt Hefele, Baumstark, Batiffol, Höller, Harapin, Brinktrine, Rauschen (4).

(1) Cf. n. 147.
(2) *De doctrina s. Cyrilli dissertatio*, III, c. 12 (Mg 33, 283 ss.).
(3) *Acta I Conventus pro studiis orientalibus*. Ljubljana 1925, p. 58.
(4) Opera et articuli initio tractatus citantur.

194. — *Evolutio* ergo et mutatio in hoc consisteret: *ex oratione,* qua initio *solus fructus dignus communionis* petebatur, vel qua sacerdos pro sua fideliumque sanctificatione supplicabatur, vel qua benedictionem seu sanctificationem quandam donorum consecratorum postulabat, vel qua sacrificium nomine Ecclesiae offerebat pro eiusque acceptatione rogabat, *oratio* decursu temporis facta est, *qua consecratio expeteretur.*

Ceterum autem, **qua ratione et quo tempore** *facta fuerit mutatio,* a diversis **diverse explicatur.**

Censet Karabinov (1) possibilem esse evolutionem *ex* « *Memento* » Canonis, Varaine (2) ex anamnesi; modum tamen talis evolutionis non indicant. Epiclesim *prius ante verba institutionis* et narrationem Coenae locum habuisse et deinde post anamnesim translatam fuisse putavit Baumstark (3), cui videntur consentire Schermann et Batiffol, qui provocat ad Cyrilli *Catech. myst.* 5, 7 (4).

195. — Praesertim non paucos fautores habet opinio, iuxta quam epicleses, in quibus « *transmutatio* » vel « *effectio* » explicite petitur ortae essent *ex supplicationibus, in quibus* postulabatur solum corporis et sanguinis Christi « *ostensio* » seu « *manifestatio* ». Vidimus iam supra complures auctores epiclesim explicare ut orationem, qua petitur, ut corpus Christi et sanguis eius *nobis* salutaria *ostendantur,* efficacia manifestentur. Quod igitur auctores illi iam implicite asserunt, hoc alii explicite proponunt affirmantes verbis ἀποφαίνειν, ἀναδεικνύναι et similibus deinde in epiclesibus verba ποιεῖν, γίνεσθαι, μεταβάλλεσθαι etc. addita vel substituta esse. Ita Hefele (5), Daniel (6), Probst (7), Höller (8), Baurain (9). Verba enim, aiunt, illa (ἀποφαίνειν et similia) praecise in *antiquioribus* epiclesibus inveniuntur, et *sensu primitivo et obvio* significant solum « osten-

(1) Евхаристическая молитва, 120 ss.

(2) O. c., 94. — Similiter Merk, Cabrol, W. C. Bishop, contra quos v. Brinktrine, *Zur Entstehung,* 490 ss.

(3) *Le liturgie,* 31; et in *Theologische Revue,* XV, 342.

(4) V. n. 164.

(5) *Theol. Quartalschrift,* XXVII, 203 ss.

(6) *Codex liturgicus,* IV, 412.

(7) Praesertim: *Liturgie des vierten Jahrhunderts,* 24 ss.

(8) Praesertim: *Die Epiklese der griechisch-orientalischen Liturgien,* 109 ss.

(9) Apud Brinktrine, *Zur Entstehung,* 494.

dere », « manifestare ». Ita adhibentur a *Patribus*; ita vertuntur in *liturgia slavica* s. Basilii, per vocabulum scilicet « pokazati » (1).

196. — *Speciali mentione* digna est sententia I. Brinktrine qui originem et evolutionem epicleseos sic explicat (2): *a*) Mos erat iam inde ab antiquissimo tempore in Ecclesia *cibos aliasque res* ad vitam necessarias *benedicendi ante usum* (3); *b*) praesertim benedicebatur *materia sacramentorum*, antequam in administrando sacramento adhiberetur; ita aquae pro baptismo, oleum confirmationis et infirmorum (4); *c*) hic mos *in ipsam liturgiam eucharisticam* transiit, ubi ante usum sacrificii, id est ante s. communionem benedictio donorum, per descensum Spiritus Sancti expostulabatur (5); *d*) hinc explicantur omnes istae species *epiclesium lato sensu* dictarum, in quibus « sanctificatio », « benedictio » etc. donorum petuntur (6); *e*) sed *quia Eucharistia* non solum communio, sed verum *sacrificium* semper credebatur, per eius « sanctificationem », « benedictionem » rogabatur *eius acceptatio* a Deo; inde in epiclesibus petitiones pro « acceptatione », « susceptione », « assumptione » sacrificii (7); *f*) cum *benedictio* et sanctificatio consideraretur ut quaedam rei benedictae vel sanctificatae *immutatio*, inde exprimebatur aliquando benedictio *voce mutationis* (8); *g*) postea tamen, in Oriente praesertim, *voci « mutationis » significatio transmutationis* seu consecrationis *eucharisticae* data est, et aliae voces conversionem eucharisticam significantes, insertae sunt (« facere », « fieri ») et ita *epicleses* proprio et stricto sensu sunt *ortae* (9).

197. — Tres adducit *rationes* auctor ad hypothesim suam confirmandam: *a*) *verba* complurium earum supplicationum, quae *epicleses lato sensu* dicuntur (praesertim multarum « *Post-secreta* » et « *Post-pridie* ») plane similia sunt terminis *oratio-*

(1) Vide apud Marković, 209; et Lisowski, 233).

(2) *Zur Entstehung der morgenländischen Epiklese* (*Zeitschrift für kath. Theologie*, XLII, 301 ss.; 483 ss.

(3) L. c., 483.

(4) L. c., 485.

(5) L. c., 487.

(6) L. c., 487 ss.; 307 ss.

(7) L. c., 491 ss.; 313 ss.

(8) L. c., 515.

(9) L. c., 515 ss.

*num in benedictionibus aquae* baptismi, ss. oleorum, immo et ciborum (1); *b*) in libris liturgicis inseruntur praecise *post epiclesim* orationes *ad benedicendam aquam, fruges, oleum, esculenta*, quae res post s. communionem benedicebantur intra missam (2); *c*) *secunda pars epicleseos* semper postulat, *ut perceptio* ss. donorum *nobis salutaris* efficiatur. Scopus *primae* partis huius supplicationis igitur est postulatio sanctificationis donorum sanctorum *in ordine ad communionem* (3).

*Rationes* autem, *cur*, in Oriente praesertim, postulatio benedictionis in *postulationem transsubstantiationis mutata* fuerit, adducuntur: *a*) *ambiguae* quaedam *voces* supplicationis huius « mutare », « transfigurare » etc., quae tum benedictionem tum veram transmutationem significare possunt; *b*) opinio *benedictionem* materiae, puta aquae ad baptismum, olei ad confirmationem etc. requiri *ad ipsam sacramenti validitatem*; qua opinione ad Eucharistiae sacramentum translata putabatur benedictio et expostulatio benedictionis ad validitatem sacramenti, id est ad ipsam consecrationem, necessaria (4).

198. — *Unaquaeque* ex opinionibus hucusque adductis de mutatione supplicationis epicleticae *aliquam probabilitatem* habet; *nulla* tamen adhuc videtur esse certis *argumentis positivis* comprobata.

Supplicationes epicleticas decursu temporis *evolutionem* quandam et aliquas mutationes *subiisse* res *indubia* est. Ipsam personam divinam invocatam variam fuisse in vario tempore et in variis epiclesibus iam supra vidimus (5). Progressum theologiae et praesertim meliorem elucidationem doctrinae de persona et operatione Spiritus Sancti et de appropriatione certorum operum tertiae personae in formationem epicleseos influxisse cum Varaine (6) concedendum est. *In ipso textu eiusdem liturgiae*, immo *eiusdem epicleseos* mutationes factas esse ostendunt exemplis Baumstark (7) et Russnak (8).

(1) L. c., 487 ss.
(2) L. c., 488.
(3) L. c., 489, 490.
(4) L. c., 518.
(5) Cf. n. 98 ss.
(6) O. c., 94, et alibi.
(7) *Le liturgie*, 20.
(8) O. c., 41 ss.

Ex tali mutatione factum est e. gr., quod in hodierno textu epicleseos liturgiae S. Basilii graeco et slavo constructio grammaticalis non satis concinna et sensus non satis clarus sit (1).

199. — Sed sicuti facile conceditur supplicationes has temporis decursu aliquo modo sese evolvisse et mutatas fuisse, ita *difficulter* ostendi potest, *quo tempore et qua ratione* mutationes factae sint. Praesertim *nulla solida ratione* positiva hucusque comprobatum esse videtur verba « *mutare* », « fieri », « facere » *postea inserta* et verbis « *ostendere* », « monstrare » et aliis similibus *substituta esse.* Inveniuntur enim iam in vetustissimis epiclesibus *Euchologii Serapionis* (2), et in fragmento liturgiae apud *Deir Balyzeh* inventae (3).

Ceteroquin, ut ostendunt Renaudot (4), Hoppe (5), M. de La Taille (6), Lisowski (7) aliique, verba « ostendere » et similia *sensu etiam proprio significant transmutationem* eucharisticam, et hoc sensu adhibentur iam ab antiquis auctoribus, ut a Beda (8) et a Theodoro Andidensi (9). *Rationes* autem, quas pro sua opinione Brinktrine adduxerat, probant quidem evolutionem ab ipso affirmatam *possibilem* esse, non tamen positive demonstrant eam re vera factam esse.

200. Ex omnibus, ergo quae hucusque de origine et evolutione epicleseos a viris eruditis conscripta sunt, concludi quidem potest *primas epicleses* in genere *minus determinatas* et explicitas fuisse quam posteriores; ceterum autem fatendum est quaestionem hanc hucusque solutam non esse.

Sed etiam quaestione hac non soluta, immo etiam evolutione illa et mutatione, quam aliqui auctores statuunt, ut falsa reiecta, « theoria communionis » ut probabilis explicatio nihilominus teneri potest.

Nam verba « *mutari* », « fieri », « efficere » *in sensu huius explicationis* probabiliter sumi possunt.

(1) Russnak, 46 ss., Lisowski, 233; Brightman, 329.
(2) Apud Funk, *Didascalia,* II, 176.
(3) Schermann, *Der lit. Papyrus,* 15.
(4) *Lit. orient. collectio,* I, lxxxvi et 243.
(5) O. c., 26.
(6) *Mysterium fidei,* 448.
(7) O. c. 9; 123.
(8) Ml 91, 967.
(9) Mg 140, 453.

201. — *Arguitur* aliquando contra ea, quae auctores illi de evolutione et mutatione epicleseos proponunt, etiam, inde quod hoc modo diceretur *aliquid erroneum in liturgias* introductum esse. Videntur re vera aliqui auctores insinuare epicleses transmutationem et effectionem corporis et sanguinis Christi petentes in praesenti forma erroneas esse (1). Quod tamen non videtur esse admittendum, antiquissimas scilicet liturgias Ecclesiarum, quae longo tempore in pacifica communione cum Ecclesia Romana vivebant, item liturgiam Ecclesiae catholicae ritus orientalis errorem aliquem continere.

Fuisse supplicationem hanc *introductam ex aliqua erronea opinione* de modo et momento consecrationis (2), *non repugnat* et per se concedi posset, dummodo supplicatio ipsa in se erronea esse non affirmetur. *Nullum* tamen adduci potest *argumentum* errorem aliquem ad epiclesim in s. liturgiam inserendae ansam dedisse (3). Potuit enim inseri, non ut consecratio nondum facta per eam peteretur, sed ut *consecrationis iam factae causa et ratio liturgice explicarentur* et quasi ad oculos ponerentur.

202. — Quam esse praecise epicleseos significationem contendunt defensores « **theoriae explicationis liturgicae** », de qua nunc aliquid est disserendum.

Etiam haec explicatio solida gaudet *probabilitate externa* ob auctores eam defendentes. Ex iis, qui « theoriam communionis » proponunt, habent etiam hanc explicationem probabilem e. gr. Card. Bessario, I. Cieplak, F. Probst, I. Scheeben. Insuper eam tenent: N. S. Bergier, L. Billot, I. Bilczewski, I. B. Bossuet, I. Th. Franz, I. Franzelin, C. Gutberlet, C. Henke, L. A. Hoppe, M. de La Taille, E. Lingens, F. Lisowski, I. Marković, G. Mikulaš, I. H. Oswald, E. Renaudot, S. Salaville, P. Schanz, A. A. Touttée (4), et alii.

203. — *Non* utique omnes hi auctores plane *eadem ratione* rem exponunt, sed quod fundamentum et substantiam expositionis attinet conveniunt. Tota missa, ita aiunt, est *liturgica repraesentatio sacrificii*, cuius essentia in consecratione invenitur. Praesertim ritus omnes et preces infra actionem seu in Canone (ἀναφορά) *referri* debent *ad ipsam consecrationem*, tam-

(1) Ita forsitan Rauschen, o. c., 100; et Harapin, o. c., 286.
(2) Brinktrine, l. c., 518. Cf. etiam Varaine, 36, 147.
(3) Lingens, *Die euchar. Konsekrationsform*, 106; Varaine, 146.
(4) In operibus vel articulis supra citatis.

quam radii ad centrum. Finis autem illorum rituum et illarum orationum est partim, ut sacrificium convenienti maiestate et externo cultu condecoretur et fidelium devotio nutriatur iique ad maiorem fructum percipiendum excitentur et iuventur, partim vero ut res *essentialis distinctius declarata, veluti ob oculos ponatur*. In consecratione continetur in verbis dominicis iam postulatio consecrationis, sed implicita tantum. Posito igitur hoc principio caerimonialis expansionis et liturgicae explanationis convenienter habetur *post consecrationem specialis supplicatio*, qua consecratio explicite *expostulatur* (1).

204. — *Congrue* autem in compluribus epiclesibus expostulatur *missio Spiritus Sancti*. Consecratio enim, licet opus totius ss. Trinitatis sit, tamen *appropriatur* Spiritui Sancto, datori gratiae et sanctificationis: sicuti ei iam in s. Scriptura et a Patribus appropriata est formatio corporis Christi in utero Virginis. Fides haec, consecrationem scilicet fieri virtute Spiritus Sancti, iam in verbis consecratoriis tacite inclusa, convenienter explicite quoque enuntiatur. Sed potest postulari et postulatur in epiclesibus etiam ipse *Pater vel Trinitas*, cum consecratio opus sit toti Trinitati commune; potest peti et re vera petitur aliquando *missio Filii*, qui potestate sua per sacerdotem consecrat et offert (2).

205. — Ostendunt etiam *congruum* esse, ut haec epiclesis *post consecrationem* et anamnesin in Canone ponatur. *Non potuit* supplicatio haec explicite fieri *in ipso momento consecrationis*, quae verbis Domini iisque solis perficitur. *Non antea*, tum quia conveniebat, ut Ecclesia ob *exemplum Christi* eiusque mandatum (« Hoc facite in meam commemorationem ») gratiis pro beneficiis actis et historia Coenae, quae est unum ex maximis beneficiis, commemorata statim verba sacramentalia super panem et vinum proferret; tum quia liturgica explanatio et veluti expansio consecrationis non fieri potest *nisi consecratione iam peracta*; tum quia *virtus* consecratoria Spiritus Sancti eatenus tantum concipitur, quatenus *ad verba Domini* accedit

(1) Scheeben, *Studien über den Meßkanon*, 700; Franz, II, 191; Cieplak, 62; M. de La Taille, 444 ss.

(2) Bessario, *De sacr. Euchar.*, 516 ss.; Cieplak, 63; M. de La Taille, 446 ss.; Marković, 179; S. Salaville, *Epiclèse*, 292; *Les fondements* (*Echos d'Orient*, 1909, 5 ss.); A. de Waal, *Archäologische Erörterungen*, 397; Lisowski, 307.

iisque veluti *additur*. *Non statim postea*, quia narrationi de passione et oblatione Domini apte mox adiungitur commemoratio aliorum mysteriorum (anamnesis) (1).

Et cum Spiritui Sancto etiam sanctificatio nostra per Eucharistiam obtinenda approprietur, *apte iungitur* in epiclesi postulationi consecrationis petitio *dignorum fructuum communionis* et sanctificationis corporis mystici, et congrue epiclesis *ante communionem* ponitur (2).

206. — Congrue igitur consecratio per epiclesim petitur; hoc autem non potest fieri *nisi verbis, quae apparenter supponunt eam adhuc factam non esse*. Sed apparenter tantum; nam verba haec debent *referri non ad tempus, quo* dicuntur, sed *ad tempus, pro quo* proferuntur; *ad tempus* scilicet, *quo fit transmutatio*, ita ut quae narratione succedunt, intellectu praecedant. Quod non ita mirum esse debet, si consideremus liturgiae actionem non tam ordinem logicum sequi quam *dramatice rem repraesentare*, et in Canone vocabula dona consecrata significantia (immaculata hostia, calix salutaris, panis vitae aeternae) cum nominibus, quae donis non consecratis conveniunt (data, panis, calix) promiscue occurrere (3).

207. — *Rationem* petit haec explicatio, ut modo expositum est *a*) EX IPSA INDOLE ET DISPOSITIONE LITURGIAE. Sed potest insuper provocare, *b*) AD ANALOGIAM aliorum SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM.

Solet scilicet Ecclesia in sacramentis *effectu iam posito* adhuc Deum *implorare, ut effectum causet* seu gratiam sacramentalem conferat; vel de effectu sacramentali ita loqui, ac si nunc demum conferretur (4).

*Exempla* sat multa praesto sunt cum ex *orientalibus* tum ex *occidentalibus liturgiis*.

208. — In ECCLESIA COPTICA *sacramentis baptismi* et *confirmationis* iam collatis Deus oratur: « Tu quoque Dominator noster, super ipsum Spiritum Sanctum tuum nunc emitte » (5).

(1) BESSARIO, l. c.; CIEPLAK, 63; LISOWSKI, 309; M. DE LA TAILLE, 443. Similiter ORSI, o. c., 12 ss.; OSWALD, FRANZELIN, alii.

(2) ORSI, l. c. Similiter OSWALD et alii.

(3) BESSARIO, 320; CIEPLAK, 63; LISOWSKI, 265, 287, 316.

(4) Argumentum hoc evolvunt e. gr. MARKOVIĆ, 200 ss.; FRANZ, II, 191 ss.; LISOWSKI, 309 ss.; CIEPLAK, 63 ss.

(5) I. A. ASSEMANI, *Codex liturgicus*, III, 88; DENZINGER, I, 210.

Apud Aethiopes effectu *baptismi* collato denuo petitur remissio peccatorum: « Deus... Spiritum tuum quoque Sanctum super hos famulos tuos misericorditer emitte, eiusque regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto ac peccatorum remissionem elargire » (1). Similia inveniuntur in *Ritualibus* Iacobi Edesseni, Severi Antiocheni et aliis *Ritualibus Iacobitarum*, ubi post *confirmationem* postulatur: « Emitte super eos, Domine, gratiam Spiritus tui Sancti et vivificantis, et reple eos ipsius sanctificatione » (2).

209. — Ecclesia Graeca in *sacramento unctionis* post unctiones supplicatur pro remissione peccatorum infirmi (3); post impositionem manuum in *sacramento ordinis* expostulat descensum Spiritus Sancti super caput ordinati (4). Apud Maronitas item sacramentali impositione manuum in collatione *presbyteratus* iam peracta episcopus orat: « Demitte, Domine, gratiam tuam super hunc servum tuum, quem elegisti et promovisti » (5). Et in consecratione *episcopali* eiusdem ritus Maronitarum episcopus consecrans post impositionem manuum orat super ordinatum: « Mitte super hunc tuum servum Spiritum Sanctum », et: « omnem Sancti Spiritus operationem in eum emitte » (6).

210. — Eundem plane morem invenimus etiam in liturgia Romana. Pro renatis in fonte *baptismali* adhuc Ecclesia orat, ut « Deus hostias placatus assumat... quas pro renatorum expiatione peccati defert » (7). In sacramento *confirmationis* post unctionem sacramentalem et impositionem manuum pro confirmatis supplicatur, « ut Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat » (8). Post unctiones in sacramento *extremae unctionis* tres orationes adduntur, ex quibus prima postulat, ut Deus infirmi « vulnera sanet et peccata dimittat », secunda, ut « animam refoveat » (9). In collatione ordinis *presbyteratus* Pontifex orat super neomys-

(1) Assemani, II, 191, 192.
(2) Denzinger, I, 278. Cf. *ibidem* 287, 308, 314.
(3) Goar, 348.
(4) *Ibid.* 243.
(5) Assemani, IX, 157.
(6) *Ibid.* X, 37, 39.
(7) *Secreta feriae VI post Pascha.*
(8) *Pontif. Rom.* Pars prima, De Confirmandis.
(9) *Rituale Romanum*, Tit. V, c. 2.

tas, qui cum ipso iam concelebraverunt: « Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata etc. » (1).

211. — Similia observantur etiam in Sacramentalibus. *Benedictione aquae* iam peracta adhuc sanctificatio eius postulatur. In officio funebri et in missa *pro defunctis* Ecclesia saepius Deum deprecatur, ut « non tradat animam mortui in manum inimicorum neque obliviscatur eius in finem » et similia, licet credat sortem hominis statim post mortem fuisse determinatam. Etiam in *liturgia Graeca* similiter oratur (2).

Immo ita est s. liturgiae proprium postulare denuo et iterate illud, quod iam factum et datum est, ut in liturgia *temporis Adventus* Ecclesia continuo adventum Domini expetat (« Rorate coeli desuper etc. »), perinde ac si nondum Dominus venisset.

Et observare iuvat in *liturgiis orientalibus adhuc post epiclesim* orationes occurrere, quibus denuo sanctificatio donorum expetitur (3).

212. — Hisce rationibus fulti, dicti defensores huius opinionis modo supra exposito explanant imprimis omnes eas *supplicationes*, in *quibus expresse de transmutatione* », « effectione » etc. sermo est. Deinde etiam *omnes alias orationes similes,* in quibus *benedictio, sanctificatio*, *acceptatio* postulatur. Iis enim verbis quoque, aiunt, consecratio expetitur, licet modo magis vago et minus determinato. In eundem sensum explicant plerique orationes liturgiae Romanae, praesertim orationem « Supplices »; et secundum hanc expositionem deinde interpretantur etiam signa crucis, quae post consecrationem supra Christum eucharisticum fiunt, ut supra vidimus. Saepius loquuntur auctores hi de *necessitate* quadam *liturgica epicleseos*. Oportebat enim, aiunt, persuasionem illam traditionis, scilicet Spiritus Sancti virtute perfici consecrationem, in s. liturgia aliquo modo exprimere; et necesse erat ipsam consecrationem in momento factam aliquo modo liturgice explanare et manifestare. Quod ob ipsam indolem et ordinem liturgiae nostrae non potuit fieri nisi post consecrationem. Itaque, aiunt, non solum dici nequit epiclesim originaliter ante consecrationem locum habuisse, sed potius illas supplicationes, quibus in ali-

(1) *Pontif. Rom.* Pars prima, De ordinatione Presbyteri.
(2) Rajewsky, III, 257 ss.; Marković, 204.
(3) Exempla afferunt Lisowski, 313; Cieplak, 64; Marković, 203.

quibus liturgiis ante verba institutionis consecratio expetitur, postea irrepsisse censendum est.

213. — Exposuimus supra sententiam hanc *in iis, quae omnibus* eius *defensoribus communia* sunt. Multi auctores *adhuc determinatius* rationem indicare volunt, cur Ecclesia tali modo consecratione facta eam denuo petat. Quorum singulas opiniones enumerare longum est; inveniuntur expositae vix non omnes apud Marković (1). Dictum est itaque e. gr. per epiclesim « ita consecrationem declarari, ut eius *nexus cum communione* appareat » (2); ut appareat « *verba dominica non esse narrativa,* sed efficacia » (3); ut in ea « sit *causa impetrans* consecrationis », quatenus Ecclesia « *votum* suum exprimat, *ut Christus* secundum promissionem suam suo sacramento *ne desit* » (4); ut per eam « verbis explicitis et liturgice exprimatur *intentio Ecclesiae* consecrandi » (5); *ut Ecclesia,* quae « in consecratione egit vicariam Christi, in epiclesi sese *ministram* eius *exhibeat* » (6).

Quae explicationes non sunt certe *nisi hypotheses* quaedam plus minusve probabiles; et aliquae ex iis nimis quaesitae apparent, neque fundamentum aliquod in textu epicleseos habere videntur. Sententiam autem quoad substantiam suam sumptam alii videntur considerare tamquam eam, quae unice spiritui liturgiae respondeat et optime sensum supplicationis pandat, ut e. gr. Salaville (7) vel Lisowski (8); alii eam probabilem habent, non diffitendo tamen eam etiam suas difficultates habere, ut Ciepłak (9), Varaine (10), A. Schmid (11).

214. — Et sane, imprimis *non videtur* saltem hoc sufficienter *probari posse*, quod aliqui sententiae fautores asserunt, epiclesim aliquam *omni liturgiae necessariam* esse. Etiamsi

(1) O. c., 215 ss.
(2) Schanz, 386.
(3) N. S. Bergier, *Consécration* in *Dictionnaire de théologie,* Paris 1788 (Citatur apud Marković, 220).
(4) Touttée, *De doctrina s. Cyrilli,* diss. III, c. 12 (Mg 33, 283).
(5) Henke, 78; Oswald, 576.
(6) Hoppe, 316.
(7) *Epiclèse,* 279.
(8) O. c., 316.
(9) O. c., 65.
(10) O. c., 145.
(11) *Epiklese* (*Kirchenlexikon,* IV, 696).

concedatur ex traditionis doctrina Spiritui Sancto appropriari consecrationem, non apparet tamen, cur hoc necessario in liturgia esset exprimendum. Et re vera *Spiritum Sanctum neque* omnes epicleses proprie dictae *invocant*, nedum aliae orationes epiclesibus similes. Si dicatur ipsam consecrationem in s. liturgia expostulari debere, non apparet, cur hoc fieri non posset *per diversas orationes consecrationi praecedentes*, vel cur non *sufficiat implicita* illa postulatio, quam *verbis institutionis* inesse ipsi explicationis huius defensores affirmant. Quodsi reponitur ipsam consecrationem in momento factam postea liturgice esse explanandam et quasi ob oculos ponendam, quaeritur primo, *cur hoc praecise supplicatione consecrationis iam peractae fieri* debeat, et *quomodo* mysterium consecrationis *explanetur* et ob oculos ponatur oratione *secreta*, in aliquibus liturgiis a consecratione sat *distante* (1) semperque anamnesi ab ea divisa. Quam insuper permulti celebrantes, nedum fideles simplices, neque ut postulationem consecrationis concipiunt; immo quae in compluribus liturgiis sensu obvio et litterali intellectu nullam postulationem consecrationis involvit.

215. — Videtur scilicet secundo explicatio illa seu « theoria dramatica » *parum aptari iis supplicationibus, quas epicleses sensu latiore appellant*, et quae sensu obvio fructus dignos communionis vel sanctificationem fidelium petunt, ut supra vidimus.

*Ad epicleses proprie dictas* tamen theoria haec *probabiliter* applicari potest; neque tamen est unica explicatio neque omnino certa. *Principali* enim *argumento* huius sententiae, desumpto *ex analogia ad alia sacramenta* et sacramentalia potest quidem ostendi hanc explicationem esse *probabilem*, *non* tamen esse *certam*. *Non* enim exemplis allatis cum certitudine *constat* Ecclesiam *effectu* sacramenti vel ritus sacramentalis iam *posito eum adhuc expostulare*. Sicuti in liturgia Adventus oratione « Rorate coeli » certo Ecclesia non postulat ipsam incarnationem seu primum adventum Domini, sed gratiam incarnationis seu secundum adventum; sicuti in exsequiis non postulat liberationem ab inferno, sed a poenis temporalibus, ita diversae illae orationes, quibus Ecclesia in administratione sacramentorum sacramento in suo esse iam completo denuo effectum sa-

(1) Exempla vide apud Lisowski, 221.

cramentalem petere videtur, non sunt necessario explicandae ut postulationes gratiae sacramentalis vel ipsius effectus sacramenti. Potest enim dici postulare Ecclesiam non ipsam gratiam sacramentalem iam collatam, sed *augmentum gratiae et perseverantiam in gratia* per salutares actus subiecti procurandam. Quod *innuere* videntur *ipsae aliquae ex istis orationibus*, puta, si petitur, ut « Spiritus Sanctus eos sanctificatione repleat », vel ut « Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat ». Et si orationes, quibus alicubi adhuc post epiclesim « sanctificatio » vel « benedictio » donorum petitur de sanctificatione corporis mystici explicantur, non apparet, cur ipsa epiclesis sic explicari non posset.

216. — Videtur igitur cum Russnak [1] dicendum epiclesim *ex praecepto Ecclesiae* recitandam esse, ubi veneranda haec et antiqua supplicatio in liturgiis habetur; eam tamen s. liturgiae *necessariam non esse;* ideoque neque Ecclesiam obligari, ut eam in liturgia retineat neque illas liturgias minus perfectas esse, quae propriam epiclesim non habent.

*Orationes* igitur omnes, QUIBUS EXPLICITE MUTATIO NON EXPETITUR; explicantur bene ut POSTULATIONES DIGNORUM FRUCTUUM COMMUNIONIS, illae, *quibus* in sensu litterali verborum *mutatio* postulari videtur, PROBABILITER UT VERAE *supplicationes consecrationis* iuxta « theoriam dramaticam », PROBABILIUS tamen etiam UT PETITIONES FRUCTUS COMMUNIONIS.

217. — Ceteroquin *scopus* praesentis capitis *non erat controversiam* inter catholicos theologos agitatam *decidere, sed* solum ostendere expositionem supplicationum epicleticarum, quam *supponit opinio theologiae Orientis separati* de forma Eucharistiae, *non esse unicam*. Quod ex iis, quae in hoc capite dicta sunt, manifesto constat.

Cum igitur epiclesis NEQUAQUAM CUM NECESSITATE EXPLICARI DEBEAT UT POSTULATIO CONSECRATIONIS NONDUM FERACTAE, cum PATRES NULLATENUS DOCEANT CONSECRATIONEM PER EPICLESIM vel nonnisi post eam fieri, immo cum epiclesis PROPRIE DICTA NEQUE IN OMNIBUS LITURGIIS inveniatur: iam evidenter constat **opinionem** dissidentium **Orientalium** de forma

[1] O. c., 265.

Eucharistiae **nullo solido argumento** comprobari. In sequentibus nunc ulterius positive ostenditur eam erroneam esse.

## § 4. — Doctrina catholica solidis argumentis comprobari potest.

218. — Probata insufficientia rationum, quibus separati ostendere conantur consecrationem per epiclesim vel nonnisi post epiclesim fieri, iam *sponte sequitur veritas doctrinae catholicae* de verbis institutionis ut forma sacramenti. Nam epiclesi exclusa de solis hisce verbis, quae etiam Orientales separati omnes aliquo modo necessaria habent, quaestio haberi potest.

**Praestat** tamen doctrinam catholicam **directe et explicite probare.** Ostendimus igitur: *a*) doctrinam catholicam **in s. Scriptura** fundari; *b*) **a compluribus Patribus** et scriptoribus antiquitatis christianae doceri; *c*) comprobari **rationibus theologicis;** *d*) confirmari **ex ipsis liturgiis Orientalium.**

Quibus rationibus eum *valorem* attribuimus, ut *singulas* quoque seorsim solide *probabile* argumentum praebere censeamus, omnes *simul iunctas* rem *indubie* evincere putemus.

### Cap. I.

### *Doctrina catholica in s. Scriptura fundatur.*

219. — *Non* putamus quidem posse *directe e sola Scriptura probari* verba a Domino in Coena prolata esse formam, qua Ecclesia nunc sacramentum Eucharistiae perficere debeat. *Duplici* tamen *modo* thesim hanc IN S. SCRIPTURA FUNDARI dicimus. Primo, quatenus *ibi saltem innuitur formam consecrationis nostrae esse ista verba.* Secundo, quatenus *solida probabilitate* ostendi potest *Christum Dominum illis verbis consecrasse*, ideoque etiam concludi debet Ecclesiam sic consecrare, postquam ostensum erit ex rationibus theologicis et ex ipsa doctrina Patrum eundem debere esse nobis modum conficiendi sacramentum, qui fuit Christi (1).

(1) Cf. BESSARIO, *De sacr. Eucharistiae;* FRANZ, *Die euch. Wandlung;* LINGENS, *Die euchar. Konsekrationsform;* SCHANZ, *Der Konsekrationsmoment;* MERK, *Der Konsekrationsmoment;* KÖSSING, *Lilurgische Vorlesungen.*

220. — Evangelistas et s. Paulum, qui de institutione ss. Eucharistiae scribunt, saltem aliquo modo innuere voluisse et vere INNUERE, QUA RATIONE tantum sacramentum A NOBIS conficiendum sit, *valde probabile est*. Sed certo certius: *a)* in narrationibus illis s. Scripturae *nihil* dicitur *de aliqua supplicatione* epiclesi liturgiarum aequipollente; *b) omnes* evangelistae et s. Paulus referunt *verba* illa a Domino prolata, et quidem omnes *eodem modo*, licet in aliis enarrandis aliquatenus differant; *c) non potest supponi* hagiographos in re tanti momenti *omisisse* ea, quae sunt necessaria ad sacramentum, et adduxisse ea, quae sunt mere accessoria; praesertim cum *s. Paulus* satis clare testetur se velle omnia scribere, « *quae accepit* »; *d) analogia* adest inter institutionem ss. Eucharistiae et *baptismum institutum* verbis: « Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Nemo tamen dubitat his verbis ipsam formam baptismi enuntiari. Ex s. Scriptura igitur nihil pro epiclesi eruitur, et *formam* sacramenti *verba dominica* esse *saltem innuitur*.

221. — Neque *obici* potest: a) formam Eucharistiae includi implicite in *verbis* εὐλογεῖν *vel* εὐχαριστεῖν (« εὐλογήσας ἔκλασε - εὐχαριστήσας ἔδωκεν », Mt; Mc; « εὐχαριστήσας ἔκλασε », Lc; 1 Cor), et his verbis praecise orationem quandam epicleticam indicari; vel b) *debuisse* in s. Scriptura *explicite* indicari *verbis Domini esse a nobis consecrandum*, ut forma huius sacramenti e s. Scriptura erui possit.

Nam a) verba illa εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν, *sensu proprio* significant solum « gratias agere, benedicere ». *Non potest* igitur dici iis *formam* consecrationis assignari, eoque minus iis quandam supplicationem epicleticam indicari, *nisi* hoc *certis positivis argumentis* comprobetur (1); b) *neque in institutione baptismi* Christus Dominus *explicite* dixit: « Baptizate eos verbis: In nomine etc. », et tamen nemo dubitat verba haec esse formam baptismi. Ceteroquin non contendimus in s. Scriptura directe et explicite doceri formam, qua a nobis ss. Eucharistia conficienda sit, sed hoc in s. Scriptura saltem innui dicimus.

222. — *Solida* autem *probabilitate* ex s. Scriptura ipsa constat CHRISTUM DOMINUM VERBIS: « Hoc est etc. » sacramentum

(1) De verbis his statim inferius plura dicentur.

CONFECISSE, et inde aliud fundamentum doctrinae catholicae ex s. paginis habetur (1).

Praenotandum est *non eandem esse certitudinem* harum *duarum propositionum*: forma ss. Eucharistiae, qua nunc sacramentum conficitur, sunt verba dominica, et: Christus Dominus et ipse illis verbis confecit. *Prima* enim propositio ob multas magisterii authentici declarationes *sententia catholica* dici debet; secunda olim ab aliquibus in dubium vocata (2), ita ut ipse s. Thomas multiplicem hac de re esse opinionem dixerit (3), nunc *sententia communis* theologorum est (4); de qua tamen magisterium Ecclesiae nihil directe enuntiavit. Decretum pro Armenis (5) enim indirecte solum hanc rem tangit et concilium Tridentinum (6) ita se exprimit, ut illius verba auctores sententiae contrariae, licet immerito, citare olim consueverint.

223. — *Institutio* ss. sacramenti et prima consecratio a Domino ipso facta *sic narratur* a Mt.: « Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem et benedixit ac fregit (εὐλογήσας ἔκλασε), deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis (εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς), dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum » (Mt 26, 26-28). Verba εὐλογεῖν in accipiendo pane et εὐχαριστεῖν in accipiendo calice adhi-

(1) Posset quis primo aliunde (puta ex Patribus, liturgiis, rationibus theologicis) demonstrare formam, qua nos consecrare oportet, esse verba dominica et deinde quasi retro ex consecratione nostra argumentari ad consecrationem dominicam. Qua ratione re vera plures theologi argumentabantur contra asserentes Christum per benedictionem tacitam vel alia simili ratione consecrasse (M. DE LA TAILLE, 441). Et re vera si ea, quae aliunde de modo consecrationis nostrae constant, cum iis, quae de consecratione a Christo facta in s. Scriptura narrantur, componuntur, plane indubium argumentum confici potest Salvatorem verbis illis confecisse. Quo argumento tamen hic uti non possumus. Illud enim, quod tali argumentatione supponitur, Ecclesiam scilicet verbis Domini consecrare, nobis praecise nunc probandum est. Possumus tamen ostendere *ex iis solis, quae in Scriptura narrantur, saltem probabile* esse *Christum Dominum* per *illa verba consecrasse*; indeque igitur fundamentum thesis nostrae petere.

(2) Cf. n. 105.

(3) *S. Th. p. 3, qu. 78, a. 1*, ad primum.

(4) Nomina principalium theologorum antiquorum adducit FRANZ I, 77 ss.

(5) Cf. n. 109.

(6) *Sess. XIII, cp. 1* (DENZINGER n. 874).

buisse Christum narrat etiam Mc 14, 22-24. De verbis autem ad calicem pertinentibus sic ille habet: « Et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex eo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur » (v. 24). Apud Lc 22, 19-20 dicitur Christus accepto pane gratias egisse et fregisse (εὐχαριστήσας ἔκλασε); de calice solum habetur: Similiter et calicem, nullo verbo neque εὐχαριστεῖν neque εὐλογεῖν addito. Insuper adiungit Lc verba (praeter alia argumentum nostrum non spectantia) Christi: Hoc facite in meam commemorationem. In his omnibus cum Lc concordat 1 Cor 11, 23-26.

224. — Ipsi *theologi Orientis separati concedunt* ab Evangelistis et s. Paulo hic sacramenti *institutionem et primam consecrationem a Domino factam* enarrari; item admittunt in hac narratione *modum, quo consecratio a Christo* facta sit seu, ut catholica theologia loquitur, formam indicari. Dicunt autem indicari hoc *verbis* εὐχαριστεῖν et εὐλογεῖν, quae idem ac « consecrare » significant. Hoc sensu enim, aiunt, verbum εὐχαριστεῖν in traditione sumitur; verbum autem εὐλογεῖν ei synonymum est. Itaque εὐχαριστήσας et εὐλογήσας significant: postquam consecravit. *Verba* autem: « *Hoc est* etc. » solum illud *declarabant*, quod iam factum erat.

Sed imprimis dicendum est: *etiamsi* verba illa (εὐχαριστεῖν, εὐλογεῖν) re vera *idem dicerent ac « consecrare », non sequeretur* Christum consecrasse mera interna potestate, vel benedictione sive interna sive externa vel aliqua oratione epiclesi simili. Potuisset enim iisdem verbis consecrare, quibus deinde sacramentum declarasset, ut re vera dicebant aliqui theologi (1).

Insuper autem, sive *verba illa* εὐχαριστεῖν *et* εὐλογεῖν sumas ut synonyma, uti affirmant Schanz et Lingens (2) et innui videtur in Scriptura (Lc enim et Paulus loco εὐλογεῖν ponunt εὐχαριστεῖν), sive diversam eorum significationem defendas, ut scribit post multos graves auctores Franz (3), ea certe: a) *sensu proprio et primario* non significant « consecrare », sed gratias agere et benedicere; b) ea tali sensu adhiberi hic *ex ipsa indole coenae paschalis*, in qua primo Eucharistia celebrata fuit, comprobatur; quod c) *ex ordine* omnium *liturgiarum* confirmatur.

(1) Cf. pag. 11, adn. 3.

(2) In articulis supra citatis.

(3) Franz I, 36; ubi citat Suarez, Estium, s. Bonaventuram, Cornelium a Lapide, Caietanum, D. Soto.

225. — Et sane a) ut *multis exemplis* demonstrant Lingens et Schanz ll. cc. εὐχαριστεῖν significat in s. Scriptura semper « gratias agere », εὐχαριστία « gratiarum actio » ; εὐλογεῖν « benedicere », pressius : alicui *bonum* aliquod *deprecari* et, si Deus sit, qui benedicit, *bonum conferre*, εὐλογία autem « *laus seu benedictio* », « *supplicatio* pro aliquo bono », et deinde *bonum* illud ipsum. b) Christus in ultima coena *ritum omnem convivii paschalis Judaeorum* observabat, ita ut ipsa liturgia missae ritum illum aliquo modo reproducat (1) ; sed iuxta ritum hunc *panis et calix a patre familias benedicebantur*, et poculum, quod ad finem coenae porrigebatur, « poculum benedictionis » appellabant (2). Quare c) *liturgiae* omnes, quae ordinem rerum in ultima coena gestarum *quasi dramatice repraesentant*, ante recitationem historiae ultimae coenae et prolationem verborum Domini, evangelicum « λαβών » et « εὐχαριστήσας » vel « εὐλογήσας » imitantes panem et vinum offerunt (Offertorium) et gratias laudesque Deo agunt (Praefatio, Sanctus).

Si autem modus consecrandi seu forma a Christo adhibita aliquo modo in narratione Scripturae fatentibus ipsis Orientalibus indicatur, ea autem, ut nunc probatum est, non indicatur in verbis εὐχαριστεῖν et εὐλογεῖν, *iam non remanet* nisi dicere eam *contineri in verbis* : « *Hoc est etc.* » ; nullum enim aliud verbum vel alium actum Christi Scriptura refert. *Et hoc si sola s. Scriptura* in se spectatur. Christum Dominum verbis : « Hoc est corpus meum etc. » consecrasse affirmant enim etiam non pauci *Patres*. De his tamen commodius agetur in sequenti capite, ubi argumentum patristicum exponetur.

226. — Contra argumentationem nostram non potest peti *difficultas* a) inde, quod sacramentum hoc mox *vocatum est* εὐχαριστία. Potuit enim nomen hoc dari sacramento, quia *gratiarum actiones magnam partem* sacrificii vel liturgiae occupant. Sed neque b) inde potest argui, quod *inde a medio saeculo II* vocabulum εὐχαριστεῖν *revera adhibetur in sensu « consecrare »*. Non enim licet usum vocis *posteriore tempore* adhibitum ad tempus praecedens transferre. Verum quidem est c) iam *s. Paulum* loqui (1 Cor 10, 16) de « *calice benedictionis*, cui benedicimus » (τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν). Sed

(1) Bickel, *Messe und Pascha*. Mainz 1872.
(2) Franz I, 36 ss. ; 62 ss. ; Lingens 56.

perperam concluditur Apostolum docuisse consecrationem vini benedictione perfici. Secus enim dicendus esset docuisse panem *fractione consecrari*, cum statim loquatur de « pane, quem frangimus » (τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν). Si s. Paulus benedictione, et non verbis Domini sacramentum perfici censuisset et docuisset, mirum esset eum, qui tamen de ss. Eucharistia omnia, quae accepit, tradere voluit (1 Cor 11, 23) *nullibi indicare verba vel rationem*, qua ista benedictio perfici deberet.

Verum est etiam d) in *Liturgia Constit. apost.* in narratione de ultima coena de calice *loco evangelici* εὐχαριστήσας ἔδωκε *poni* ἁγιάσας ἔδωκε. Sed liturgia haec in referenda consecratione panis utrumque verbum εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν omnino omittit, et de « vino cum aqua mixto » in calice loquitur. Manifestum est igitur textum liturgiae *nequaquam fideliter* verba evangelicae narrationis repetere. Ceterum perperam affirmatur verbum ἁγιάζειν significare ibi consecrationem, cum *sensus* istius vocabuli *maxime diversi* esse possint, et cum praecise in liturgiis frequentissime alio sensu quam de consecratione vox haec adhibeatur (1).

227. — *Maior difficultas* primo aspectu oriri posset e) *ex textu Mc* supra allato, ubi res ita narratur, *acsi discipuli prius ex calice bibissent*, et deinde Christus verba : « Hic est sanguis etc. » protulisset. Sed cum alii hagiographi alium ordinem habeant, dicendum est Mc facta quidem enarrare voluisse, sed *non ordinem factorum*, seu prius de actionibus, deinde de verbis dixisse. Et *idem respondendum* est, si f) obiciatur, quod *eodem modo* sicut Mc ordinem factorum enarrant *aliquae liturgiae*; vel si dicatur *aliquem Patrem* affirmasse vel in *aliqua liturgia* legi Christum Dominum suum ipsius *corpus sumpsisse* et suum sanguinem bibisse, *antequam* verba illa : « Hoc est etc. » pronuntiasset.

228. — Solida saltem probabilitate igitur ex s. Scriptura constat Christum Dominum ipsum verbis dictis consecrasse. Inde iam *fundamentum* habetur in s. Scriptura pro doctrina affirmante *consecrationem quoque nostram iisdem verbis* perfici. Nam EODEM MODO DEBERE NOS CONSECRARE, SICUTI CONSECRAVIT CHRISTUS, ita semper *omnibus persuasum* erat, ut iis, qui putabant Christum ante prolata verba illa consecrasse « censebatur

(1) Exempla multa affert FRANZ I, 65 ss.

occurri satis argumentando retro ex nostra consecratione ad consecrationem dominicam » (1).

*Patres* enim et scriptores Ecclesiae antiquae frequenter repetunt Christum proprie esse illum qui offert et consecrat in sacrificio missae; immo expresse dicunt eodem modo sacrificium nunc confici, sicuti Christus illud perfecit.

229. — Iam Irenaeus non obscure hoc innuit cum narrata institutione Eucharistiae et relatis verbis dominicis addit Christum « novam docuisse oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo » (2). Omnino clare loquitur Cyprianus. Ut enim eos, qui « vel ignoranter vel simpliciter in calice dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus et Deus noster sacrificii huius auctor et doctor fecit et docuit » (*epist. 63, c. 1*) redarguat, ostendit (c. 10), quid sit illud, quod Iesus Christus fecit et docuit, enarrando historiam ultimae coenae et primam sacramenti consecrationem a Christo peractam (3).

Auctor *dialogi III* Caesario Nazianzeno adscripti (4) respondet (interr. 169) quaestioni, quomodo Deus in Eucharistia corpus et membra habere possit. Institutionem ss. Eucharistiae et primam sacramenti consecrationem ex s. Scriptura enarrat, et addit similiter etiam hodie panem sanctificatum in altaribus offerri. Quam explicitus sit Ioannes Chrysostomus in affirmando eandem esse oblationem nostram et Christi, eundem offerentem, easdem manus, easdem voces, supra vidimus (5).

230. — Auctor operis *De sacramentis*, in textu sequenti capite citando panem in corpus Christi converti posse praecise inde comprobat, quod Christus ipse proprie consecrat et quod verbis eius consecratio fit (6). S. Augustinus in libro *Contra Faustum* de oblatione nostra scribit: « Sacrificare Deo... quod frequentissime facimus, illo dumtaxat ritu, quo sibi sacrificari Novi Testamenti manifestatione praecepit » (7).

(1) M. de La Taille, *Mysterium fidei* 441.
(2) *Adv. haer. IV, 18, 5* (Mg 7, 1028).
(3) C. V. III, 2, 701 ss.
(4) *Dial. III, interr. 169* (Mg 38, 1132, 1133).
(5) Cf. n. 167 ss.
(6) *De sacram. l. IV, c. 4, n. 14* (Ml 16, 440).
(7) *Contra Faustum l. XX, c. 21* (Ml 42, 385).

Cyrillus Alexandrinus in textu supra laudato (1) ad verba *Lc 22, 19* (« Et accepto pane, gratias agens fregit deditque eis dicens: Hoc est corpus etc. ») adnotat: « Porro haec actio typum nobis exhibebat precis eius quam proferre deberemus, quotiescunque mystici vivificique muneris gratiam oblaturi essemus, quod reapse facere solemus ». (Τύπος δὲ ἦν ἄρα τὸ δρώμενον εἰς ἡμᾶς αὐτούς, τῆς ὀφειλούσης προσανατείνεσθαι λιτῆς, εἰ μέλλοι προτίθεσθαι παρ' ἡμῶν τῆς μυστικῆς καὶ ζωοποιοῦ δωροφορίας ἡ χάρις, ὃ δὴ καὶ δρᾷν εἰθίσμεθα).

Etiam tractatus Proclo adscriptus et supra memoratus (2) satis clare indicat missae celebrationem in Ecclesia esse imitationem eorum, quae in coenaculo gessit Christus.

231. — Hesychius Hierosolymitanus († post 451) in *l. II in Leviticum* in « panibus consecrationis », de quibus Lev. 8, 31 sermo fit, typum Eucharistiae intelligit; et adductis verbis 1 Cor 11, 20-22 prosequitur: « Nisi enim Christus, rogatus ore sacerdotum, ipse venerit et coenam sanctificaverit, ea, quae aguntur, nullatenus sacrificium dominicum fiunt » (3). Et inferius *l. VI* (*in Levit 22, 14*): « Sanctificationem enim mystici sacrificii et a sensibilibus ad intelligibilia translationem sive commutationem ei, qui verus est sacerdos, videlicet Christo, oportet dari, id est ipsi de eis miraculum cedere et imputare: quia per eius virtutem et prolatum ab eo verbum, quae videntur, tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis excedunt sensum » (4). Et iterum *in Levit 23, 12* loquitur de Christo principali offerente, de sacrificio virtute eius et dominicis verbis peragendo (5).

Addi possent alii adhuc, inter quos auctor anonymus opusculi *De solemnitatibus, sabbatis et neomeniis* (6).

232. — Ceterum *eodem modo* sacramentum hoc *debere confici*, quo Christus illud confecit, *aliis* quoque *rationibus* confirmatur. Videtur hoc sequi ex *ipso mandato Domini*: « Hoc facite in meam commemorationem ». Nulla enim ratione eorum probatur explicatio, qui dicunt Christum Dominum hisce verbis

(1) Cf. pag. 44, adn. 7.
(2) Cf. n. 172.
(3) Mg 93, 886.
(4) Ibid. 1071.
(5) Ibid. 1084, 1085.
(6) Pitra, *Spicilegium Solesmense*. T. I, p. 9 ss.

solum constituisse, ut sacrificium in Ecclesia sua esset perpetuum, nihil tamen de modo illud conficiendi determinasse. Concluditur idem *ex* ipsius *sacramenti huius natura*, quae eadem est in Eucharistia a nobis conficienda et a Christo consecrata; eadem igitur erit et forma. Consentiunt *liturgiae*: omnes enim, ut paulo superius dictum est, ea quae Christus in Coena gessit ad amussim imitantur; immo in aliquibus expresse affirmatur eodem modo sacramentum confici debere, quo a Christo consecratum fuit.

233. — Consentit de re *ex ipsis separatis A. Petrovsky*: « Изученіе евангельскихъ данныхъ объ евхаристіи переноситъ насъ въ совершенно иную сравнительно съ прежнею область, въ область уясненія состава и формъ апостольской евхаристіи изъ состава и формъ момента установленія новозавѣтнаго таинства. Тото требуютъ и на то уполномочиваютъ слова Спасителя: " сіе творите въ мое воспоминаніе „, имѣвшія для апостоловъ смыслъ не простого только повелѣнія совершить установленное таинство, но и прямого указанія на формы и способъ его совершенія ... они даютъ намъ полное право разсматривать тайную вечерю, какъ прямой и единственный прототипъ апостольской евхаристіи » (1).

## Cap. II.

### *Doctrina catholica a compluribus Patribus et aliis scriptoribus ecclesiasticae antiquitatis docetur.*

234. — Doctrina catholica a nobis ex Patribus iam *comprobata est negative*; nam ostendimus in cap. III praecedentis paragraphi Patres non docuisse consecrationem fieri per epiclesim, vel eam locum non habere nisi epiclesi prolata. Hic nunc ea testimonia Patrum et scriptorum aliorum ex christiana antiquitate adducenda sunt, quibus **positive doctrina catholica** affirmatur.

*Primis temporibus*, quibus doctrina de sacramentis adhuc systematice non tractabatur, et de aliorum sacramentorum forma explicite *quaestio non fiebat*, neque data opera quaerebatur, *quo praecise momento* et quibus verbis consecratio fieret.

235. — Quicunque tamen quaestionem hanc aliquo modo tangebant Patres et scriptores in *Occidente*, ii fere omnes verba do-

(1) Апостол. Литургія 232.

minica ut ea, quibus sacramentum conficitur, assignant, ita ut dici possit traditionem occidentalem fuisse hac in re constantem, et praesertim fidem *Romanae Ecclesiae* claram et invariabilem (1).

In *Orientis* liturgiis vix non omnibus epiclesis formalis inveniebatur, cuius tenor apud animos minus profundos et cultos veram doctrinam aliquo modo forsitan obscurare poterat. Solliciti deinde erant Patres et scriptores orientales non tam ut ostenderent, quaenam esset forma sacramenti huius, quam *potius, cuius virtute et efficacia, Spiritus nempe Sancti*, perficeretur. Nihilominus habentur in Oriente quoque clara testimonia pro catholica traditione.

236. — Primus qui nostra opinione pro doctrina catholica testimonium praebet est **s. Iustinus** († cã. 165).

S. Martyr in *I Apologia sua* (2) ad imperatorem Antoninum Pium directa religionem christianam defendit veritatem eius exponendo et a calumniis eam defendendo. Quare missionem et divinitatem ipsam Christi satis fuse comprobat; de Verbo et de Incarnatione saepe loquitur, praesertim *c. 32 et 33*; contra calumniam atheismi *c. 13* ostendit christianos atheos non esse, sed Deum « verbis orationis et gratiarum actionis super ea omnia, quae offerunt, [prolatis] laudare » (λόγῳ εὐχῆς καὶ εὐχαριστίας ἐφ' οἷς προσφερόμεθα πᾶσιν αἰνοῦντες) (3). Et ut calumnias, quae de conventibus christianorum spargebantur, refellat, *c. 65-67* omnia, quae a christianis in conventibus aguntur, totam scilicet sacram liturgiam, describit.

Et quidem *c. 65* breviter totum ordinem liturgiae indicat. Ei « qui praeest, panis et vinum aqua mixtum affertur; qui accipit, laudem et gloriam dicit et deinde longas gratias agit, quod digni facti sumus eorum donorum a Deo » (« λαβὼν αἶνον καὶ δόξαν... ἀναπέμπει· καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται »). Finitis orationibus et gratiarum actione, populus « Amen » respondet (« οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων· Ἀμήν »). Postea diaconi absentibus sacramentum portant (4).

237. — *Cap. 66* docetur Eucharistia verum corpus et verus sanguis I. Christi esse, et quaestioni respondetur, qua

(1) Varaine 77 ss.
(2) Mg 6, 327 ss.
(3) M 346.
(4) M 427.

ratione res tam mirabilis fieri possit; provocat scilicet s. Martyr ad mysterium Incarnationis lectori iam notum. « Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδένι ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρόν, καὶ οὕτως βιοῦντι ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν. Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν· ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται Εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν· λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου· Τουτέστι τὸ σῶμά μου· καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· Τοῦτό ἐστι αἷμά μου· καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι » ([1]).

*C. 67* iterum ordo liturgiae describitur: praeparatio in lectionibus et orationibus consistens; deinde propria missa: panis affertur et vinum cum aqua; et qui praeest, preces et gratiarum actiones enixe emittit, et populus acclamat: Amen, et consecratorum (eorum, in quibus gratiae actae sunt) distributio fit unicuique (« ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ· καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ὑπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαρισθέντων ἑκάστῳ γίνεται »). Et postquam auctor adhuc explicaverat, cur christiani die Dominica conveniant, addit in fine *c. 67*: « [Dominus die Dominica] apostolis suis et discipulis visus ea docuit, quae vobis quoque consideranda tradidimus ». (φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς, ἐδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν) ([2]).

238. — Omnes facile conveniunt Iustinum in his locis iam VERBUM εὐχαριστεῖν *de* CONSECRATIONE adhibere, et ipsam rationem, qua consecratio fit, seu formam ss. Eucharistiae, saltem aliquo modo et in genere indicare ([3]); item nullum est dubium

([1]) M 428.

([2]) M 429, 432.

([3]) Cf. SALAVILLE, *La liturgie décrite par S. Justin* (Echos d'Orient 1909, 129ss.; 222ss.; CIEPLAK 30; MARKOVIĆ 120, (ubi citat MÖHLER, SCHWANE, KLEE, PROBST); SCHERMANN, Εὐχαριστία *und* εὐχαριστεῖν (*Philologus* LXIX).

*modum seu formam* consecrationis *explicari* praesertim propositione: τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν. Quaestio solum est, *qua oratione seu quibus verbis* ex mente Iustini Eucharistia conficiatur.

Ad quod diversi *diversa responderunt* (1). Aut enim posset cogitari a) *de epiclesi* quadam, ut re vera putant aliqui Orientales dissidentes (2); aut b) oratio haec diceretur esse « *Pater noster* », ut affirmabant quidam theologi, praesertim protestantes (3); aut c) voluit Iustinus indicare *solum in genere* confici Eucharistiam in Canone vel ἀναφορά; et ita explicant textum Iustini Puniet (4), Salaville (5), Struckmann (6), Lisowski (7), Varaine (8), Batiffol (9), et tali sensu vertitur locus ille ex graeco in latinum apud Migne (10); aut d) docet hic s. Martyr formam Eucharistiae esse *verba dominica*: « Hoc est etc. »; et haec est sententia Baurain (11), Hoppe (12), Cieplak (13), Franz (14), Schanz (15), Scher

(1) Omittere possumus opinionem, quam Watterich (*Der Konsekrationsmoment im heiligen Abendmahl und seine Geschichte*. Heidelberg 1896, 41 ss) et alii acatholici proposuerunt, et iuxta quam λόγος seu Verbum esset Spiritus Sanctus, quem a Iustino identificari vel confundi cum Verbo vel Filio dicebant. Opinio haec toti contextui, ubi (c. 65 et 66) Spiritus Sanctus et Filius clarissime distinguuntur, manifeste opposita, hodiedum satis iam refutata est. Cf. Salaville l. c. 131; X. Le Bachelet in *Etudes* LXXV (1898), 466 ss.

(2) Ex quibus tamen non omnes verba s. Iustini recte ex graeco vertebant, ut de S. Kymenites et S. Pappangeli ostendit Salaville *l. c.* 131.

(3) Lisowski adducit (69) Rudelbach, *Die Sakramentsworte*, Nördlingen 1851, pg. 67, 68; Otto, *S. Iustini opera*, T. I, p. I, pg. 156; Bunsen, *Hippolytus und seine Zeit II*, Leipzig 1853, pg. 374. Secundum Franz (II, 113) Rudelbach solum dixit « Pater noster » in s. liturgia necessarium esse; cui hac in re consentit Daniel (IV, 412). S. Iustinum voce εὐχῆς λόγος intellexisse « Pater noster » probabile habet etiam H. Schell (*Kath. Dogmatik*, III, 2, p. 543). Auctorem hunc tamen immerito pro se invocare Billuart demonstrat Lisowski 70.

(4) *Les paroles de la consécration* (*Revue d'histoire ecclésiastique* 1912), 63.

(5) L. c. 224 ss.

(6) *Die Gegenwart Christi*, etc. 12.

(7) O. c. 73.

(8) *L'épiclèse* 20.

(9) *L'eucharistie* 139.

(10) « per precem ipsius verba continentem » (Mg 6, 427).

(11) *Revue augustinienne* I (1902), 463.

(12) *Die Epiklesis* 228.

(13) O. c. 30, 31.

(14) O. c. II, 11, 12.

(15) *Der Konsekrationsmoment* (*Katholik* 1896, II), 119 ss.

MANN (1), ORSI (2), MARKOVIĆ (3), LINGENS (4), RENZ (5), RUSSNAK (6).

239. — Ut quaestioni rite respondeatur, oportet primo *sensum propositionis* illius: « τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν » bene determinare. *Tres* sunt de sensu *opiniones* praecipuae (7). Aut enim a) sumitur λόγος pro *persona Verbi* et dicitur consecrationem fieri per supplicationem, invocationem Verbi ab eo (Deo vel Patre) procedentis (8); aut b) intelligitur λόγος *pro verbo creato* et *ore prolato*, εὐχή *iungitur cum* praepositione διά, et λόγος habetur *pro genitivo obiecti* ab εὐχή dependente; ita ut sensus sit: sacramentum conficitur per precem (precationem, recitationem) verbi ab eo (Verbo, Christo) procedentis seu instituti (9); aut c) iterum λόγος sumitur *pro verbo ore prolato*, sed praepositio διά *iungitur cum* vocabulo λόγος, vox εὐχή habetur *pro appositione seu genitivo qualitatis* a verbo λόγος dependente; consecraretur igitur « per verbum precis (formule de prière, Gebetswort) ab eo (Verbo, Christo) acceptum seu institutum » (10).

240. — *Prima* explicatio *parum probabilis* est. Nam sit, quod vocabulo λόγος paulo antea in eodem c. 66 adhibito (« διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθείς ») Iustinus Verbum aeternum intellexerit (11), εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ tamen de *verbo ore prolato* intelligi debet. Ita enim α) certe *intelligitur in c. 13*, ubi eadem

(1) Εὐχαριστία *und* εὐχαριστεῖν (*Philologus* LXIX) 402.

(2) *Dissertatio* 62.

(3) O. c. 118 ss.

(4) *Die eucharistische Konsekrationsform* (*Zeitschrift für kath. Theologie* 1897), 67.

(5) *Opfercharakter der Eucharistie nach der Lehre der Väter und Kirchenschriftsteller der drei ersten Jahrhunderte*. Paderborn 1892, p. 52; et iterum in *Die Geschichte des Messopferbegriffs* I, Freising 1901, p. 164.

(6) O. c. 139, 140.

(7) Opinionem F. LOOFS (« *Abendmahl* » in *Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche* I³, Leipzig 1896, p. 41), qui δι' εὐχῆς λόγου aequivalere putat διὰ δυνάμεως τοῦ λόγου, omittimus, utpote a nemine alio, quantum scimus, defensam, et vocabulum εὐχή parum recte interpretantem.

(8) Ita e. gr. G. RAUSCHEN - I. WITTIG, *Grundriss der Patrologie*, Freiburg in Br. 1921, p. 58.

(9) Ita MARKOVIĆ 120; CIEPLAK 30; FRANZ II, 11; RUSSNAK 140.

(10) Et sic LINGENS, SALAVILLE, BATIFFOL, LISOWSKI, STRUCKMANN ll. cc. Similiter A. SCHEIWILLER, *Die Elemente* etc., p. 33.

(11) Ut putant e. gr. ORSI, SCHEIWILLER, HOPPE, STRUCKMANN.

phrasis occurrit (« λόγῳ εὐχῆς... αἰνοῦντες ») ; et β) *secus* verba τοῦ παρ' αὐτοῦ *vix ullum sensum* habent ; in praecedentibus enim de Christo, non autem de Patre, a quo Verbum procedit, sermo est. Ceterum cum SALAVILLE (1) omnino tenendum esse videtur vocabulum λόγος, etiam ubi prima vice occurrit (« διὰ λόγου θεοῦ ») de verbo ore prolato intelligi.

241. — *Probabilis* est explicatio *secunda*. Cui favet, quod cum praepositione διά *melius iungitur* vocabulum *immediate sequens* εὐχή, quam vocabulum distans λόγος ; item quod *melius intelligitur*, *quomodo* verbum consecratorium *sit ab eo* (Christo). *Neque obstat*, quod sermo est de « *prece* », « precatione » verbi dominici ; nam verba institutionis s. liturgiae inserta manifesto indolem precis induunt. *Difficultatem* facit contra talem explicationem, quod λόγος *sine articulo* (τοῦ) ponatur.

Ergo forsitan ut *probabilior* habenda est explicatio *tertia* ; non solum ob *grammaticalem rationem* modo notatam (omissio articuli), sed maxime *ob comparationem ad c. 13*, ubi verba λόγος εὐχῆς praecise hoc eodem sensu occurrunt ; et ob *comparationem ad verba paulo antea* dicta διὰ λόγου Θεοῦ. Vult enim Iustinus mysterium Eucharistiae *per mysterium Incarnationis illustrare*, quod hac comparatione facit : sicut Incarnatio per omnipotens verbum Dei (ad Mariam in Annuntiatione prolatum) effecta est, ita Eucharistia per omnipotens verbum precationis a Christo acceptum conficitur. *Quod* autem vocabulum εὐχή *praeponitur* voci λόγος facile inde *explicatur*, quod λόγου cum attributo suo « τοῦ παρ' αὐτοῦ » iungendum erat.

242. — Hinc iam questioni responderi potest, *quibus verbis* vel qua forma *Iustinus sacramentum confici docuerit*. Et primo certe NON PER EPICLESIM. Hanc opinionem SALAVILLE ne refutatione quidem dignam reputat (2), licet alioquin teneat epiclesim habere significationem dogmaticam et non plane improbabile censeat liturgiam Romanam tempore S. Iustini epiclesim habuisse (3). Et sane, epiclesis certe *neque* potest dici « *verbum* », neque « verbum *precis* » a *Domino* institutum. Immo neque « *supplicatio pro Verbo*, vel pro adventu Verbi », (quam Iustinus indicare voluisset, si vera esset prima illa textus eius explicatio supra relata, in se tamen iam improbabilis),

(1) L. c. 133 ss., ubi rationes huius affirmationis relegi possunt.
(2) L. c. 223.
(3) L. c. 226, 227.

necessario de epiclesi esset intelligenda. Nam posset dici adventum Verbi quidem invocari, sed *tota prece liturgica*, vel alia quadam oratione quam epiclesi, vel ipsis verbis dominicis super oblata prolatis. Insuper *nullum* omnino *vestigium* vel testimonium adest *fuisse* in liturgia Romana tunc *epiclesim*.

243. — *Excluditur* pariter alia opinio, quae putat a S. Iustino orationem dominicam seu « PATER NOSTER » formam ss. Eucharistiae assignari. Oratio haec ad sacramentum conficiendum parum idonea est, cum *neque consecrationem petat* neque *transmutationem significet;* parum apte quoque « *verbum* » vel « orationis verbum » vocaretur. Neque *ullus ex Patribus vel posterioribus theologis* umquam docuit in hac oratione dominica formam sacramenti consistere (1).

(1) Certum est orationem dominicam « Pater noster » inde a tempore apostolorum in missa recitatam esse. (Cf. testimonia apud FRANZ II, 117 ss.). Unicus tamen, qui videretur orationi huic quandam virtutem sacramenti consecrativam adscribere est auctor anonymus (ex fine s. XI) tractatus liturgici « *Micrologus* » inscripti (Ml 151, 977 ss.), qui c. 19 (De vitanda intinctione) scribit: « Nam Ordo Romanus contradicit [intinctioni], quia et in Parasceve vinum non consecratum cum Dominica oratione et Dominici corporis immissione iubet consecrare » (Ibid. 989). Sed a) *non est certum* agi hic de propria *consecratione* seu transmutatione vini in sanguinem, et non potius de sanctificatione quadam vini ex contactu panis consecrati; praesertim cum Ordo Romanus non habeat verbum « consecrare », sed « sanctificare »; b) *non* dicitur vinum *per dominicam orationem* consecrari, sed *cum hac oratione* et *cum immissione corporis* Domini iam consecrati per verba dominica; c) et *solum pro fer. VI Parasceve* talis modus consecrationis admittitur. AMALARIUM idem dixisse, quod Micrologus, in prima editione operis sui *De ecclesiasticis officiis* aiunt. Sed in editione emendata habet: « Qui iuxta ordinem libelli [supra ab Amalario citati] per commixtionem panis et vini consecrat vinum, non observat traditionem Ecclesiae » (*De ecclesiasticis officiis*, l. IV, c. 15; Ml 105, 1032).

*Mirum igitur esset*, si apostolos per orationem dominicam confecisse putasset GREGORIUS M., ut aliqui affirmant. Et re vera nil tale *erui potest* ex eius *epist. 12, ad Ioannem Syracusanum*, ad quam provocant. Gregorius in hac epistola contra quosdam se defendit, sibi exprobrantes, quod in ordinandis ritibus consuetudines ecclesiae Constantinopolitanae secutus esset. Scribit igitur liturgiam Romanam neque in aliis neque in « Pater noster » mox « post precem » recitando mores Graecorum imitari. « Orationem vero Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius corpus et sanguinem non diceremus. Sed et

244. — Dicendum igitur est Iustinum **aut totam « precem », seu Canonem,** ἀναφοράν, appellavisse « λόγον », vel « εὐχῆς λόγον »,

---

Dominica oratio apud Graecos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote » (M! 77, 956, 957).

Omnis *difficultas evanescit, si* vocabulum « *oblationis* » iungatur *cum voce « orationem »*, ut proponit Probst (*Liturgie der 3 ersten Jahrhunderte*, 356). Nihil enim in tali suppositione de vi consecratoria orationis dominicae Gregorius diceret, sed solum affirmaret apostolos in conficiendo sacramento solam « orationem oblationis » (i. e. Canonem verba dominica continentem) orasse, exclusis omnibus aliis orationibus. Explicatio talis textus s. Gregorii *probabilis* est, *non* tamen omni *difficultate caret. Canon* enim ab antiquis communiter vocatur « *prex* », et non « oratio oblationis »; et ab ipso Gregorio *paulo antea eadem vox* « prex » pro Canone adhibetur. Deinde vocabulum « *ipsam* » videtur ad orationem dominicam, paulo antea nominatam, remittere. Tandem explicatio illa textus *non satis cum scopo* huius epistolae concordat. Vult enim s. Doctor demonstrare Ecclesiam Romanam recitando in s. liturgia « Pater noster », et quidem « mox post precem », *non Graecos imitatam esse,* sed *traditionem apostolicam* sequi Quod ut demonstret, ad morem apostolorum provocat, qui, omissis aliis orationibus postea ab hominibus (« scholasticis », i. e. eruditis) compositis, solam orationem dominicam in s. missa recitabant.

Communius igitur vox « oblationis » cum substantivo « hostia » coniungitur, et conceditur Gregorium dixisse « apostolos ad orationem dominicam solummodo consecrasse ». Dixerunt autem aliqui (Kössing, *Liturgische Vorlesungen* 441 et 544; Lisowski, o. c. 70) « *consecrare* » hic *non* esse accipiendum *sensu stricto* de transmutatione eucharistica, sed pro « sacratione » vel quadam « sanctificatione », quae in mixtione corporis et sanguinis ante communionem (« Haec commixtio et consecratio etc. ») conspicitur. (Cf. de hac quaestione articulum Andrieux initio prioris partis tractatus citatum et I. Geiselmann, *Die Eucharistielehre der Vorscholastik*. Paderborn 1926, pp. 62 ss.). Etiam haec explicatio ut *probabilis* admitti potest.

Potest tamen etiam concedi s. Gregorium *re vera de consecratione* eucharistica loqui. Dicit vero apostolos « solummodo » ad « Pater noster » consecrasse, *non ad exclusionem Canonis* verba dominica continentis, sed *ad exclusionem aliarum orationum* ab hominibus eruditis Ecclesiae seu « scholasticis » postea compositarum. Canonem enim non esse « a scholastico » compositum, sed magna ex parte ab apostolis, immo ab ipso Christo traditum Gregorius tenebat. Sensus igitur est: « Orationem dominicam mox post Canonem oramus, *neque loco eius aliam quandam orationem* a « scholastico » compositam ponentes, neque tales orationes inter Canonem et « Pater noster » intermiscentes; quia sic apostoli orabant. Illi enim in consecrando sacramento seu in s. missa solum Canonem et orationem dominicam recitabant ». *Neque* tamen *omni parti Canonis, neque orationi dominicae* virtutem consecrandi *adscribit* Gregorius; nam *a*) solummodo scribit « *ad* hanc (non *per* hanc) orationem » consecratum fuisse; *b*) manifeste dicit « Pater noster » recitari « *super eius corpus et sanguinem* »; *c*) non censet orationem dominicam necessario recitandam esse, nam solum « *valde inconveniens* » habet, ut omittatur.

**aut** vocabulis his praecise **verba dominica** designare voluisse. Quod *ultimum probabilius* esse videtur, *si textus* Iustini *in se* et *cum contextu immediato* consideretur. Et *nullum* certe est *dubium* a s. Iustino verbis dominicis vim consecrandi tribui, *si recta* est *secunda* illa *explicatio* textus eius supra notata (1) (« per precationem verbi ab ipso instituti seu procedentis »); quia vix ulla ratione totus Canon potest dici « *verbum a Christo institutum* ». Sed *etiam in tertia* explicatione (εὐχῆς λόγος = precis verbum) *aptius* voces « precis verbum » applicantur verbis dominicis quam integro Canoni; qui insuper difficulter dici potest « verbum precis a *Christo institutum* ». Accedit Iustinum, ut probet « verbum » vel « verbum precis » a Christo procedere, statim *historiam ultimae coenae* et primam ss. Eucharistiae confectionem enarrare, et ibi *nullius alterius verbi* quam verborum dominicorum mentionem facere.

245. — Neque *obicere* valet Iustinum *non potuisse* prodere vel *explicare formam* sacramenti in *opere* destinato *paganis*, qui mysteria christiana non intelligebant et deridebant. Qui enim *tam fuse de mysterio Incarnationis* locutus est, qui tam clare *de praesentia reali* Christi in Eucharistia loquitur, qui in narratione ultimae coenae expresse verba dominica nominat, potuit quoque dicere ea consecratoria esse. *Neque obstat*, quod tempore Iustini quaestio, quo praecise momento consecratio locum habeat, *nondum in theologia fiebat*, et doctrina catholica de forma Eucharistiae theoretice non proponebatur. Videtur enim doctrina seu veritas haec *semper in explicita fide Ecclesiae Romanae* fuisse; potuit igitur iam tempore Iustini exprimi, sicuti exprimebatur ab Irenaeo *fides primatus*, immo etiam *infallibilitas* Romani pontificis tempore, quo adhuc theoretice dogma hoc universim explicite non proponebatur.

246. — Quae dicta sunt, valent, *si* textus disputatus in *se et cum immediato contextu* spectetur. *Alibi* enim Iustinus non solum vocabulum εὐχαί *de tota* « *prece* » adhibet, sed *c. 13*, ubi de εὐχῆς λόγῳ καὶ εὐχαριστίᾳ sermo est, ipsa vox εὐχῆς λόγος videtur *totum Canonem* significare (licet etiam de solis verbis dominicis, εὐχαριστία vero de aliis orationibus s. liturgiae intelligi per se posset). Inde viderentur ergo etiam verba c. 66 melius de toto Canone explicanda esse. Difficultas tamen

(1) Cf. n. 239.

tunc maneret, qua ratione tota prex seu ἀναφορά *a Christo instituta* (παρ' αὐτοῦ) dici possit. Solvit difficultatem SALAVILLE (1) ex iis, quae Iustinus ad finem c. 67 dicit (2). Scribit enim ibi Christum Dominum post resurrectionem suam apostolos ea edocuisse, « quae vobis quoque consideranda tradimus ». Videretur igitur Iustinus affirmare (sicuti ante eum affirmaverat CLEMENS ROMANUS et post eum EUSEBIUS CAESARIENSIS) Christum Dominum ipsum apostolos suos de tota ratione s. liturgiae instruxisse.

247. — Verum tamen manet s. Martyrem in c. 66, ubi data opera ostendit Eucharistiam esse veram carnem et verum sanguinem, et per verbum precis « ab eo acceptum » consecrari, *non ad hanc instructionem* apostolis post resurrectionem datam *provocare*, sed *solum verba a Christo* in ultima coena prolata afferre.

Ceterum Iustinus *testis pro doctrina catholica* invocari potest, *etiam si* sub « verbo orationis seu precationis » *totam anaphoram intellexerit*. Omnes enim concedunt Iustinum verba dominica ut partem eamque principalem « verbi precationis » considerare (3); certe igitur docuit consecrationem principaliter per ea verba fieri et sine eis numquam sacramentum confici posse.

248. — Praeterea Ecclesiam *Occidentis* persuasionem habuisse per verba dominica consecrationem fieri comprobari potest explicitioribus adhuc testimoniis Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, non solum posteriorum saeculorum, ut AMBROSII, PS.-AMBROSII, AUGUSTINI, CAESARII ARELATENSIS vel FAUSTI REIENSIS, sed iam TERTULLIANI ex saec. II; quibus pro *Oriente* accedunt GREGORIUS NAZIANZENUS, IOANNES CHRYSOSTOMUS, HESYCHIUS, auctor narrationis de *Barlaam et Ioasaph* (4). Neque opponi potest agi de opinione quadam privata solum et singulari; nam pro opinione catholica in Oriente quidam extra numerum Patrum adduci possunt, inter quos auctores ex coetibus heterodoxis, ab Ecclesia catholica iam saeculo V sepa-

(1) L. c. 224 ss.

(2) Cf. n. 237.

(3) Cf. VARAINE 20; SALAVILLE, l. c. 224; LISOWSKI 73.

(4) Notandum est nos in praesenti non ex *consensu* Patrum argumentari, sed, ut inscriptio capitis est, affirmare doctrinam catholicam a *compluribus* Patribus doceri.

ratis. Citabimus Severum Antiochenum, Ioannem Daraeum, Chosroën Magnum, ipsum Nestorium.

Tertullianus aperte docet *Christum Dominum verbis « Hoc est corpus meum »* sacramentum *confecisse;* persuasio autem communis fuit *eodem modo nos* consecrare, quo Christus, ut supra vidimus (1); teste Cypriano quoque, qui Tertullianum « magistrum suum » colebat (2). Scribit autem Tertullianus: « Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha... acceptum panem et distributum discipulis corpus illum suum fecit, Hoc est corpus meum dicendo » (3). Prius quidem de distributione, deinde de consecratione mentionem facit; sed absque dubio gerundivum « dicendo » causalitatem exprimit, et verba Domini ut consecratoria a Tertulliano habentur (4).

249. — **S. Ambrosius** in *Enarratione in Psalmum 38* ad versiculum 7 (« Verumtamen in imagine pertransit homo ») scribit in V. T. fuisse umbram, nunc in N. T. adesse imaginem, in coelis fore veritatem. « Vidimus [nunc in N. T.] principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequimur, ut possumus, sacerdotes; ut offeramus pro populo sacrificium; etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: immo ipse offerre manifestatur in nobis, *cuius sermo sanctificat sacrificium*, quod offertur (5).

Apposite de forma consecrationis agit s. Doctor in opere *De mysteriis c. 9* ostendendo maiorem esse virtutem gratiae quam naturae: « Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret (3 Reg 18, 38); quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi *verba ipsa Domini* Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, *Christi sermone* conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de

(1) Cf. n. 228 ss.

(2) Cf. n. 229.

(3) *L. IV adv. Marcionem,* c. 40 (Ml 2, 460).

(4) Verbis enim « corpus meum, id est figura corporis mei » a Tertulliano non negari realitatem corporis Christi in ss. Eucharistia a theologis iam satis comprobatum est. Ceterum error aliquis Tertulliani de hac re non tolleret vim praesentis argumenti.

(5) *In Psalmum 38 Enarratio,* n. 25 (Ml 14, 1051, 1052).

coelo deponeret: non valebit sermo Christi, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt (Ps 148, 5); sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest, ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? » (1). Et paulo inferius: « *Ipse clamat* Dominus Iesus: *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, *post consecrationem corpus significatur*. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est: verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat » (2).

250. — Auctor operis *De Sacramentis* (Ps.-Ambrosius) data opera loquitur de sacramenti Eucharistiae veritate, dignitate et modo, quo conficitur in *l. IV, c. 4.* « Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem *quibus verbis est, cuius sermonibus? Domini Iesu.* Nam et reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro caeteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo *sermo Christi hoc conficit sacramentum* » (3). Et ne aliquod dubium sit, quinam sit ille sermo Christi, in *c. 5* auctor haec verba Christi expresse affert. « Vis scire, quia verbis coelestibus consecratur? ». Adducit deinde totum textum Canonis a verbis « Fac nobis hanc oblationem adscriptam, ratam etc. » usque ad verba « sanguis meus », et concludit: « Vide illa omnia. Illa verba evangelistae sunt usque ad Accipite, sive corpus, sive sanguinem. Inde verba sunt Christi: Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus » (4). Et iterum, paulo inferius: « Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Et ante verba Christi, calix est vini et aquae plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur » (5).

(1) *De Mysteriis* c. 9, n. 52 (Ml 16, 406).
(2) *Ibid.*, n. 54 (Ml 407).
(3) *De Sacramentis*, l. IV, c. 4, n. 14 (Ml 16, 440).
(4) *Ibid.*, c. 5, n. 22 (Ml 443, 444).
(5) *Ibid.* n. 23 (Ml 444).

251. — **S. Augustinus** in *Sermone 6, de sacramento altaris ad infantes, n. 2,* s. liturgiam explanat et expositis verbis Praefationis ait: « Et inde iam quae aguntur in precibus sanctis, quas audituri estis, ut *accedente verbo fiat corpus et sanguis Christi.* Nam tolle verbum, panis est et vinum. Adde verbum, et iam aliud est. Et ipsum aliud, quid est? Corpus Christi et sanguis Christi. Tolle ergo verbum, panis est et vinum. Adde verbum, et fiet sacramentum. Ad hoc dicis: Amen. Amen dicere subscribere est » (1). Nullum potest esse dubium, quodnam sit illum verbum, quod « in precibus sanctis » contineatur; praesertim cum « Amen » praecise post verba dominica a populo proferebatur, et in multis liturgiis orientalibus adhuc profertur, ut infra videbimus.

Eodem modo s. Doctor in *Sermone 227, ad infantes:* « Panis ille, quem vidistis in altari, *sanctificatus per verbum Dei*, corpus est Christi. Calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi » (2).

Vim testimoniorum horum nullatenus minui inde, quod Augustinus alibi (*De Trin.*, l. III, c. 4, n. 10) dicit sacramentum sanctificari « operante invisibiliter Spiritu Sancto », vel quod Ambrosius (*De Spir. Sancto,* l. III, c. 16, n. 112) scribit « in oblationibus invocari Spiritum Sanctum », supra vidimus » (3).

252. — Perspicua sunt verba auctoris *Homiliae 5, de Paschate* (probab. Fausti Reiensis): « Necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis et sanguinis consecraret [Christus], ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui, *verbi sua secreta potestate* convertit, ita dicens: Accipite et edite, *hoc est corpus meum.* Et sanctificatione repetita: Accipite et bibite, hic est sanguis meus. Ergo ad nutum praecipientis Domini, repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum. Pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi praecipit virtus, et rei servit effectus » (4).

(1) *Sermo 6, de Sacramento altaris ad infantes*, n. 3 (Ml 46, 836).

(2) *Sermo 227* (*In die Paschae 4, ad infantes* (Ml 38, 1099).

(3) Cf. n. 157 ss.

(4) *Homilia 5, de Paschate* (inter opera Caesarii Arelat.; apud Ml 67, 1052, 1053).

Isidorus Hispalensis declarat verba dominica ad sacramentum necessaria et sufficientia esse: « *De substantia* sacramenti sunt verba Dei a sacerdote in sacro prolata ministerio: *Hoc est corpus meum* » (1).

253. — Ex testimoniis *Graecorum* adduximus iam supra verba s. Ioannis Chrysostomi et solvimus obiectionem, quae ex textu *homil. 1 de proditione Iudae* petitur (2); item audivimus testimonium Hesychii (3).

Gregorius Nazianzenus in *oratione funebri in patrem suum* narrat patrem aliquando, licet graviter infirmum, surrexisse et mysteria sacra celebrasse « paucis quidem, et quibus poterat verbis » (4). Quaenam autem Gregorius ad mysterium perficiendum maxime necessaria censuerit, colligere licet ex eius *epist. 171, ad Amphilochium*. quem rogat, ut sui ad altare in sacrificio recordaretur: « O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando *verbo Verbum attraxeris*, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem Dominicum, *vocem* adhibens *pro gladio* ». (Ἀλλ' ὦ θεοσεβέστατε, μὴ κατόκνει καὶ προσεύχεσθαι καὶ πρεσβεύειν ὑπὲρ ἡμῶν, ὅταν λόγῳ καθέλκῃς τὸν Λόγον, ὅταν ἀναιμάκτῳ τομῇ σῶμα καὶ αἷμα τέμνῃς δεσποτικόν, φωνὴν ἔχων τὸ ξίφος) (5).

254. — Auctor Vitae *Barlaam et Ioasaph* in c. 19 sic adducit Barlaam ad Ioasaph loquentem: « Atque insuper ab omni labe pura Christi mysteria accipe, certissime credens, Dei nostri corpus et sanguinem esse... Christus enim ea nocte, qua tradebatur, testamentum novum discipulis suis ac apostolis... in haec verba sanxit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Eodemque modo sumptum calicem ipsis porrexit, dicens: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Ipse igitur *Dei sermo vivus et efficax*, atque sua virtute nihil non efficiens, per divinam efficaciam ac Spiritus Sancti adventu, panem et vinum, corpus suum ac sanguinem efficit atque transmutat ».

(1) *Ep. 7, ad Redemptum* (Ml 83, 906). Rationes, ob quas aliqui de authenticitate huius epistolae dubitant, non videntur sat efficaces esse.

(2) Cf. n. 170.

(3) Cf. n. 231.

(4) *Oratio 18, funebris in patrem*, n. 29 (Mg. 35, 1021).

(5) *Epist. 171, ad Amphilochium* (Mg 37, 280, 281).

(Αὐτὸς οὖν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ὁ ζῶν καὶ ἐνεργὴς καὶ πάντα ποιῶν τῇ δυνάμει αὐτοῦ, ποιεῖ καὶ μετασκευάζει διὰ τῆς θείας ἐνεργείας τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον τῆς προσφορᾶς σῶμα αὐτοῦ καὶ αἷμα, τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος) (1).

255. — Addi posset s. Ioannes Damascenus, quem cum catholica sententia concordare supra demonstravimus (2).

Omittimus hic testimonia Cypriani, qui indirecte saltem verbis dominicis in Coena prolatis consecrationem nostram quoque perfici testatur (3), Irenaei, qui a multis censetur de verbis dominicis cogitasse, cum scriberet poculum et panem « suscipere verbum Dei et fieri eucharistiam » (ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία) (4), Origenis et Gregorii Nysseni, qui mutationem eucharisticam adscribunt « verbo et orationi » (5); ubi vocabulum « verbum » de verbis Domini ab aliquibus theologis intelligitur.

256. — Non tamen censemus omittenda testimonia aliquorum **scriptorum orientalium extra numerum Patrum,** inter quos et tales numerantur, qui *sectae alicui* adhaeserunt.

Severus Antiochenus (ex VI saec.) in epistulis suis saepius affirmat non sacerdotem, sed Christum proprie offerre et consecrare in missa, pronuntiare sacerdotem nomine et *auctoritate Christi verba eius* super panem et vinum, quibus mutatio et sacrificium perficitur (6).

Ioannes Maro (VII) scribit: « Haec autem sacerdos recitat, ut ostendat, ipsum [Iesum] etiam nunc esse, qui species hasce super altare impositas voluntate Patris sui et operatione Spiritus Sancti per sacerdotem, qui cruces format et verba profert, consecrat. Non enim qui ministrat, sed qui super mysteria invocatur, consecrationem efficit. Igitur *statim atque* sacerdos ex persona Salvatoris nostri *verba haec profert: Hoc est corpus meum*, panis in corpus Domini nostri... transmutatur » (7).

(1) Mg 96, 1031.
(2) Cf. n. 173 ss.
(3) *Epist. 63, 1* (C. V. III, 2, p. 701).
(4) *Adv. haer.* V, 2, 3 (Mg 7, 1125).
(5) Cf. n. 154.
(6) *Epist. 3, ad Mizaelem*; *epist. 2, ad Ammianum*; *epist. ad patric. Caesar.* (E. W. Brooks, *The sixth Book of the select letters of Severus, Patriarch of Antioch* II London 1904, pp. 238, 234, 233). Cf. Salaville, *Echos d'Orient* 1910, 322 ss.; Lisowski 174, 175.
(7) Vel quisquis sit auctor *Expositionis liturgiae* Syriacae s. Iacobi. Cf. Russnak 154, 155.

Ioannis Daraei (IX) sententia indubia est: « Incipit autem qui ministrat, et repetit preces deificas, corpus scilicet efficientes et sanguinem Dei; preces vero deificae sunt, quae a pontificibus laudatae sunt et mysticis ministeriis insertae secundum Evangelium et apostolum ». Evangelium enim dicit: « Accepit Iesus panem, et benedixit, etc. », Apostolus autem: « Dominus noster Iesus illa nocte, qua tradebatur, accepit panem et dixit: *Hoc est corpus meum* » (1).

257. — Chosroës Magnus (X s.) in sua *Explicatione precum missae* (2) de epiclesi quidem loquitur, immo dicit: « postquam cum fide descensum Spiritus Sancti imploraveramus super augustum sacrificium profitemur secundum verbum divinum corpus et sanguinem Christi » (3); alibi tamen non solum aperte et repetite affirmat sacerdotem offerre et consecrare nomine Christi (4), qui edocere nos voluit, quomodo mysterium perfici debeat (5), sed explicite dicit ideo nos nunc credere fieri idem, quod in coena ultima factum est, « quia infallibile est *verbum Christi*, qui quod ipse primus fecit, id usque adventum suum in sui memoriam fieri iussit » (6).

Iam ipse Nestorius (V s.) aperte confitebatur Christum Dominum per verba: Hoc est etc. panem in suum corpus transmutasse, et inde fallaci argumentatione haeresim suam confirmare studebat (7). Hinc legitime deducitur eum etiam nostram consecrationem verbis dominicis adscribere, ubi de « gladio spirituali, qui corpus Christi scindit » (Χριστός, τῇ τῆς ἱερατικῆς εὐχῆς μαχαίρᾳ σφαττόμενος) loquitur (8).

258. — Certe non possumus haereticos citare ut testes traditionis; praebent tamen testimonium historicum doctrinae, quae ante exortum Nestorianismum et Monophysitismum in Oriente vigebat; et sane hi magis etiam ac Patres orientales *immunes* sunt *ab omni Latinorum dependentia*. Valor testi-

(1) *Comment. ad c. 2 Eccl. hier. s. Dionysii.* (Apud P. Benedicti, *Antirrheticon alterum* c. 11). Cf. Salaville l. c. 323. Ibidem alii auctores syriaci pro doctrina catholica afferuntur ad posteriora saecula pertinentes.

(2) Ed. P. Vetter. Friburgi Br. 1880.

(3) Vetter 36, 37. (Cf. Salaville, *Echos d'Orient* 1911, 10 ss.; Lisowski 194).

(4) Vetter 26, 27, 28, 35.

(5) *Ibid.* 31.

(6) *Ibid.* 36.

(7) *Sermo 8, 3*; *sermo 9* (Apud Marium Mercatorem; Ml 48, 828, 829).

(8) F. Loofs, *Nestoriana*. Halle a. S. 1905, p. 241.

moniorum orientalium, sive Patrum, sive aliorum scriptorum, inde crescit, quod *liturgiae orientales* vix non omnes *epiclesim stricte dictam* continent.

Doctrinam catholicam de ss. Eucharistiae forma a **compluribus Patribus et scriptoribus antiquitatis ecclesiasticae** propositam fuisse, a **nemine** igitur, qui serio historiae dogmatum studuerit, **in dubium vocari potest.**

## Cap. III.

### *Doctrina catholica rationibus theologicis comprobatur.*

259. — **Triplici ratione theologica** doctrina catholica comprobari potest: *a*) Verba dominica **aptissima** sunt ad **transmutationem eucharisticam** seu transsubstantiationem significandam et efficiendam; *b*) in doctrina catholica commodius explicatur transmutationem eucharisticam esse **instantaneam,** et melius respondetur quaestioni, *quo momento* praecise sacramentum conficiatur; *c*) verbis dominicis clare *indoles* ss. Eucharistiae ut **sacrificii** exprimitur. Quae omnia ostendi possunt verbis dominicis *in se solis spectatis;* vis argumenti autem crescit, si verba haec, quae catholici formam sacramenti habent, **comparantur cum epiclesi,** per quam vel post quam demum consecratio perficeretur secundum Orientales separatos.

260. — *a*) Theologi Orientis separati una nobiscum docent sacramenta esse *signa externa gratiae,* gratiam significare et conferre; item distinguunt in signo externo, per quod gratia significatur et communicatur, aliquam materiam et aliqua verba, licet plerique ex eis terminologiam nostram « materiae et formae » sacramenti reiciant (1). Qua ratione tamen sacramenta gratiam significent et conferant, theologi Orientis separati quaerere et explicare non solent; immo aliqui ita vagis terminis utuntur, ut solum causalitatem aliquam sensu latiore sacramentis attribuere videantur (2). Catholici tamen omnes ut doctrinam « fidei proximam » tenent sacramenta esse *veras*

(1) Th. Spáčil, *« Iuridismus » et indoles efficaciaque sacramentorum iuxta doctrinam catholicam et orthodoxam.* (Apud *Acta V Conventus Velehradensis.* Olomucii 1927, pag. 104 ss.).

(2) *Ibid.* 110.

*efficientes causas instrumentales* gratiae, et communiter docent sacramentalem materiam, et praesertim sacramentalem formam hanc gratiam seu effectum sacramenti *significare* et significando *instrumentaliter efficere* (1).

261. — Iamvero facile apparet verba haec: « Hoc est corpus meum » **aptissime significare** et **significando efficere** illud, quod est immediatus effectus seu immediata gratia huius sacramenti, id est *conversionem substantialem* panis in corpus Christi seu eucharisticam transmutationem.

Verba enim haec dicunt: α) « Hoc », id est, quod sub visibilibus speciebus panis continetur et quod initio propositionis erat panis, in fine propositionis esse corpus; β) ita tamen, ut species visibiles eaedem remaneant; γ) et panis corpus fiat praecise vi prolatorum verborum horum. Itaque verba haec *mutationem substantiae panis in corpus manentibus speciebus seu transsubstantiationem significant* et eam ut verba practica seu signa practica instrumentaliter efficiunt.

Et iam patet, cur dicere oporteat « hoc », et non « hic panis »: quia propositio tum initio, tum in fine debet esse vera. Item, cur dici debeat, hoc « est », et non hoc « fit »: quia verba non solum debent significare corpus fieri, panem transmutari, sed hanc ipsam transmutationem debent instrumentaliter causare « in facto esse »; iterum, cur dicatur « est », et non « sit »: quia verba non sunt mera iussio, ut transsubstantiatio fiat (puta e. gr. directe per invisibilem virtutem Dei sine causa instrumentali), sed effectum ut instrumenta sacramentaliter operantur; tandem, cur dicendum sit « meum », et non « Christi »: quia verba ex persona Christi proferuntur et eius virtute effectum causant (2). Tam clare verba dominica transsubstantiationem significant, ut theologi catholici communiter ex ipsis verbis hisce dogma transsubstantiationis comprobent.

262. — E contra IN EPICLESI, etiam stricte dicta, *nihil est, quod transsubstantiationem directe significet* et significando operetur. Quod evidens est, si epiclesis non sit nisi petitio dignorum fructuum communionis, iuxta sententiam complurium theologorum supra explanatam. Sed idem valet, si per epiclesim

(1) *Ibid.* 115.

(2) S. THOMAS, *S. Th.*, *p. III, qu. 78, a. 2.*

re vera transsubstantiatio postulari admittitur. Epiclesis enim transmutationem solum *petit a Deo efficiendam*, et hoc secundum explicationem epicleseos a compluribus theologis catholicis datam, efficiendam praecise per verba dominica, secundum opinionem separatorum autem invisibiliter a Deo (Spiritu Sancto) operandam. Qualicumque ratione igitur epiclesim explicaveris, numquam supplicatio haec vera causa instrumentalis consecrationis operandae dici poterit. Immo epiclesis tenore suo *neque dicit, utrum transsubstantiatio re vera efficiatur* necne a Deo, nedum, utrum ea statim illa finita fiat.

263. — *Quae contra* hoc argumentum ab Orientalibus *obiciuntur*, aut *in falso supposito* fundantur, aut directe *petitionem principii* involvunt. Si enim dicitur verba dominica Ecclesiae et sacerdoti nonnisi *mandatum Christi* in mentem revocare (1), illud *supponitur*, quod praecise probandum est; si arguitur: *Prius res debet esse* quam declarari, sed verba dominica declarant corpus Christi adesse (2), *supponitur* propositionem: « Hoc est corpus meum » esse meram theoreticam declarationem, cum in veritate sit propositio practica, ut supra ostensum est. Si enim solum declarari deberet corpus Christi adesse, melius diceretur: « Hic est corpus Christi » vel « Hoc factum est corpus Christi ».

264. — *b*) Conversio eucharistica **instantanea** est; et hoc « primo quidem, quia substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conversio, non suscipit magis neque minus; secundo, quia in hac conversione non est aliquod subiectum, quod successive praeparetur; tertio, quia agitur Dei virtute infinita » (3).

Sed talia dicere, ait Eustratius (4), est inducere *placita philosophica in theologiam*. Nihilominus ipse et cum eo alii theologi dissidentes *debent concedere* mutationem eucharisticam *non paulatim et successive* fieri, ergo instantanee; et in s. liturgia aliquod tempus assignari debere, in quo consecratio perficitur. Si verba dominica sunt forma sacramenti, quibus consecratio significatur et significando perficitur, optime intelligitur, quo-

(1) Makarij II, 284.
(2) Eustratius Argentis, Σύνταγμα 67.
(3) *S. Th., p. III, qu. 75, a. 7.*
(4) Σύνταγμα 123.

modo ea in instanti fiat, et sine difficultate momentum consecrationis assignari potest.

265. — Epiclesis e contra consecrationem *ad summum* solum *expostulat*, *non* autem ipsa ex tenore suo *dicit*, *quando* ea et quo modo perficiatur. Maxime, ubi per epiclesim *primo sanctificatio panis* expostulatur et panis a sacerdote benedicitur, *deinde* sanctificatio *calicis*, qui item benedicitur, demum sanctificatio utriusque doni, et utrumque benedicitur. Ita in *Liturgia byzantina s.* Ioannis Chrysostomi diaconus stola panem monstrans secreta voce dicit: « Εὐλόγησον, δέσποτα, τὸν ἅγιον ἄρτον ». Sacerdos ter panem benedicit et secreto orat: « Ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου ». Diaconus respondet: Amen; et iterum petit: « Εὐλόγησον, δέσποτα, τὸ ἅγιον ποτήριον ». Et sacerdos benedicit et dicit: « Τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου ». Diaconus respondet: Amen; et monstrans stola utrumque donum dicit: « Εὐλόγησον, δέσποτα ». Sacerdos manu benedicit utrumque donum et dicit: « Μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ ». Diaconus: « Ἀμήν. Ἀμήν. Ἀμήν » (1).

266. — *Obiciunt* neque *per verba* dominica conversionem in instanti perfici, cum *verba* ista *non sint simplicia*, sed ex multis componuntur; neque simul, sed *successive proferantur* (2). Difficultati, quam iam s. Thomas longe antea praeoccupaverat (3), *facile respondetur*, si sacramenta causae « *morales* » vel « *intentionales dispositivae* » habentur. Sed admissa etiam causalitate « physica » obiectioni occurritur dicendo effectum sacramenti haberi in ultimo instanti prolationis verborum, *in ordine tamen ad verba praecedentia*; nam sacramenti forma, licet exterius ex pluribus verbis composita, tamen est quid unum et simplex ratione unius et simplicis significati.

267. — *c*) Vidimus supra theologos separatos omnes docere Eucharistiam *verum sacrificium* esse (4), et plerosque ex eis essentiam sacrificii nobiscum in mutatione eucharistica seu in transsubstantiatione reponere (5). Oportet igitur, ut *verba* quae transsubstantiationem *significant* et significando efficiunt, significent aliquo saltem modo **corpus et sanguinem sacrificari.**

(1) Brightman I, 387. Cf. Lisowski 315; Russnak 217.
(2) Eustratius l. c.
(3) *S. Th., p. III, qu. 78, a. 4*, ad tertium.
(4) Cf. n. 80 ss.
(5) Cf. n. 85.

Quod *optime* significatur *verbis a Christo in Coena prolatis*: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur » (Lc 22, 19), vel « pro vobis tradetur » (1 Cor 11, 24) et « Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur » (Mc 14, 24), « qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum » (Mt 26, 28), « hic est calix in sanguine meo, qui pro vobis fundetur » (Lc. 22, 20). Ipsi theologi separati ex his verbis comprobant Eucharistiam verum sacrificium esse, ut supra notavimus (1).

268. — Quam indolem sacrificalem Eucharistiae *certe exprimit forma in consecratione calicis* prout habetur in liturgia nostra: « Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ».

Sed etiam si in consecratione calicis proferrentur sola verba: « Hic est calix sanguinis mei » vel « Hic est sanguis meus », quae iuxta communiorem sententiam ad validitatem sacramenti sufficiunt, per formam consecrationis panis et per formam consecrationis sanguinis sufficienter indoles sacrificalis Eucharistiae exprimeretur, cum *vi verborum corpus et sanguis separatim* ponantur et Christus mystice mactetur.

Per epiclesim autem, quomodocumque illa explicetur, *indoles sacrificalis* seu immolatitia Eucharistiae *nullo modo* significatur.

269. — Ratio autem, quam *obiciunt* separati (2), quod scilicet iam *ante verba dominica* panis et vinum *sacrificium* vocentur, contra ipsos retorqueri posset. Nam si quid valeret haec obiectio, non esset tam contra doctrinam catholicam de forma Eucharistiae, quam potius *contra doctrinam nobis cum Orientalibus* dissidentibus *communem* sacrificium in transsubstantiatione perfici. Ceterum responsio facilis est: possunt enim panis et vinum iam in se spectata vocari certo sensu sacrificium, quatenus ab usu profano segregata in sacrificium eucharisticum destinantur; immo possunt vocari iam ante consecrationem sacrificium eucharisticum ipsum, quatenus in eis *non spectatur id, quod sunt, sed id, quod futura sunt.*

270. — Ex omnibus dictis iam facile apparet quid dicendum sit ad *tritam obiectionem:* in omnibus sacramentis aliis

(1) Cf. n. 81.
(2) Apud Marković 167.

verba, quibus perficiuntur, sunt *oratio aliqua;* atqui *verba* « Hoc est etc. » *non sunt oratio.* Scribit Salaville (1) puerile esse velle denegare verbis illis in s. liturgia recitatis indolem verae orationis. Et sane, nemo non videt verba illa, inde quod s. liturgiae inserta sunt, et quidem *non ut mere narrativa,* indolem precis induere (2). Quod ceteroquin apparet ex ipso modo, quo verba illa in liturgiis Orientalium recitantur. De quo tamen in sequenti capite erit dicendum.

## Cap. IV.

### *Doctrina catholica ex ipsis liturgiis orientalibus confirmatur.*

271. — *Quidam auctores,* ut Cieplak (3), Russnak (4) et alii veritatem doctrinae catholicae de forma Eucharistiae *directe ex ipsis liturgiis Orientalibus* demonstrant. Melius forsitan cum Lisowski (5) dixeris ex *liturgiis solis rem decidi non posse.* Sine dubio tamen doctrina catholica in fontibus revelationis fundata et validis rationibus theologicis firmata ex **liturgiis Orientalium multum confirmari potest.**

Verba enim dominica *a*) **in omnibus liturgiis** illis inveniuntur, *eodem modo* in diversis liturgiis recitantur, et *partem principalem* seu centralem in s. liturgiae ordine occupant; *b*) tali **modo** pronuntiantur, talibus **caerimoniis** et **tali solemnitate** circumdantur, ut appareat ea non esse mere narrativa vel commemorativa, sed indolem sacramentalis precis induere; insuper *c*) **post verba dominica** et ante epiclesim in liturgia termini adhibentur et orationes occurrunt, quae

(1) *La liturgie décrite etc.*, 224.

(2) *Concedimus* ergo a sacerdote in missa *historiam* ultimae coenae vel potius primam sacramenti huius confectionem etiam *enarrari,* ideoque verba dominica narrativa quoque seu historica esse. Inde tamen *immerito concluderetur* ea igitur sacramentalia seu hic et nunc *efficacia esse non posse.* Nihil enim impedit, quominus sacerdos illud, quod a Christo factum est, simul et *narret* et *imitetur.* Immo hic modus sacramentum perficiendi maxime ss. Eucharistiae convenit, quia sic optime ostenditur eumdem esse offerentem principalem idemque sacrificium.

(3) O. c. 49 ss.

(4) O. c. 124 ss.

(5) O. c. 280.

*supponunt* **Christum iam sacramentaliter** in altari **praesentem**; immo *d*) *hoc* idem **tenor** aliquarum **epiclesium** ipse enuntiat.

272. — *a*) **Liturgias** orientales *historiam ultimae coenae narrare et* **verba dominica continere** facile cuique eas perlegenti persuadetur et ab auctoribus comprobatur (1). P. Benedictus de nonaginta liturgiis syriacis mentionem facit (2), quae omnes verba dominica continent. *Neque* factum hoc universale *exceptionem* patitur ob *paucissimos codices* liturgiarum syriacarum, in quibus verba haec *desunt* vel *mutilata* sunt. Desunt in quatuor liturgiis Iacobitarum: S. Xysti *papae* (3), S. Petri *principis apostolorum* (4), Dyonisii Barsalibi (5), Thomae Heracleensis (6), et in liturgia nestoriana *Beatorum apostolorum ab* Addaeo et Mari (7). In liturgia Iacobitarum Matthaei Pastoris (8) desunt verba consecrationis vini, super panem dicitur: « Hoc est caro mea ». Rem explicat Renaudot (9), « non temere sed maximis rationum momentis fisus » tamquam *textus corruptionem,* « non tam certo consilio, quam librariorum culpa » factam; cui consentit Lisowski (10). Alii tamen putant mutilatos fuisse textus data opera ab iis, qui consecrationis vim verbis dominicis denegabant (11). I. S. Assemani autem censet talem mutationem textus praecise testimonium esse doctrinam catholicam antea apud Syros Nestorianos viguisse (12).

273. — Verba dominica non solum in omnibus liturgiis recitantur, sed locum principalem occupant et quasi in centro liturgiae inveniuntur, ut facile cuique ordinem liturgiarum consideranti patebit. Et dum in aliis orationibus inter singulas liturgias sat magnae differentiae reperiuntur, et dum ipsius

(1) Franz II, 31 ss.; Lisowski 210 ss.; Marković 85 ss.
(2) *Antirrheticon. alterum,* pp. 31 ss.
(3) Renaudot, II, 134 ss.
(4) *Ibid.* 145 ss.
(5) *Ibid.* 82 ss.
(6) *Ibid.* 383 ss.
(7) *Ibid.* 581 ss.
(8) *Ibid.* 352 ss.
(9) *Ibid.* 83.
(10) O. c. 215.
(11) Franz II, 34 ss.; Russnak 37 ss.
(12) I. S. Assemani, *Bibliotheca orientalis,* T. III, p. 2 Roma. 1728, pp. cccv ss.

epiclesis textus non solum in diversis liturgiis diversus est, sed in eadem liturgia non semper idem remansit, ut supra ostendimus: verba dominica PAUCAS easque non substantiales tantum VARIATIONES in liturgiis subeunt (1).

Inde iam colligere licet ipsos liturgiarum orientalium auctores verba dominica non habuisse ut aliquid mere accessorium vel ut puram commemorationem, sed censuisse ea *magni momenti* in liturgiae celebratione esse. Quod adhuc melius patebit, si rationem, qua verba haec proferuntur, consideraverimus.

274. — *b*) Ipse **modus**, quo verba haec in liturgiis orientalibus pronuntiantur, **solemnitates, quibus circumdantur, responsiones,** quae verbis prolatis a populo dantur, clare demonstrant verba haec *non mere narrative* recitari, satis determinate indolem eorum deprecatoriam significant, immo virtutem eorum consecratoriam haud obscure indicant.

In aliquibus liturgiis ante narrationem institutionis Eucharistiae et verba dominica ATTENTIO populi speciali modo excitatur. Ita in *liturgia Aegyptiaca* S. MARCI diaconus monet: « Ἐκτείνατε » (2). Quae verba non significant: Extendite manus (3); sed potius: Impensius orate (4).

Prescribitur, ut verba haec ALTA VOCE recitentur: « ἐκφώνως » (5), « εἶτα ἐκφωνεῖ » (6), « elevans vocem » (7). Itaque verba haec a narratione historica, remissa voce recitata, seiunguntur, et indolem significativam induunt, non mere narrativam habent.

Praescribitur ulterius, ut verba haec *per modum precis* dicantur, seu orentur. Sacerdos oculos elevat (8), inclinat caput et extendit dexteram cum reverentia (κλίνει τὴν κεφαλήν, καὶ αἴρων τὴν δεξίαν αὐτοῦ μετὰ εὐλαβείας) (9), dicit orando (λέγει εὔχόμενος) (10).

(1) Exempla videas apud LISOWSKI 210 ss.

(2) RENAUDOT I, 140.

(3) Ita FRANZ II, 78; BILCZEWSKI 33.

(4) RENAUDOT l. c.; LISOWSKI 222, 268.

(5) *Lit. Graec. s. Basilii* (BRIGHTMAN I, 328); *Lit. aeg. s. Marci* (*Ibid.* 132).

(6) *Lit. Graeca s. Iacobi* (*Ibid.* 52).

(7) *Lit. Syriaca s. Iacobi* (RENAUDOT II, 31).

(8) *Lit. Coptica s. Basilii* (*Ibid.* I, 14).

(9) *Lit. s. Basilii* (DANIEL IV, 429).

(10) *Lit. s. Marci* (*Ibid.* IV, 161).

Sacerdos ante verba prolata vel ea proferendo dona oblata BENEDICIT. Ita praescribitur in liturgia Graeca s. MARCI, in liturgia Coptica s. CYRILLI, in liturgia Graeca s. BASILII, in liturgia Coptica s. BASILII ET S. GREGORII, in liturgia *Armenorum* et aliis (1).

275. — Teste GOAR (2) Graeci dissidentes, a tempore, quo opinioni adhaeserant consecrationem non perfici nisi epiclesi prolata, ex pluribus codicibus librorum liturgicorum *eas rubricas expunxerunt*, quae benedictionem vel signa crucis ad verba dominica praescribebant, « ne ubi benedictionis factae certitudo extaret, indubitatum subsecutae consecrationis haberetur argumentum ». Alii tamen codices rubricas has continent.

276. — Sed non solum hae benedictiones, sed *aliae* quoque CAERIMONIAE et SOLEMNITATES, quibus recitatio verborum Domini circumdatur, vim eorum consecratoriam indicant. In *liturgia Graeca* post « Sanctus » dona per diaconum *asterisco* (ἀστήρ) teguntur, deinde ante ipsam verborum prolationem asteriscus removetur et ῥιπίδιον seu flabellum supra dona hinc inde agitatur. Est autem asteriscus symbolum stellae magos ad locum nativitatis Christi comitantis, flabellum, imagine Seraphim cum sex alis ornatum, symbolum coelestium spirituum mysterium contemplantium et adorantium (3).

Manifestum signum fidei in virtutem consecratoriam verborum Domini erat ADORATIO, quae in compluribus libris liturgicis russicis (*Trebnik*) post verba prolata praescribebatur; et quae adhuc praescribitur pro liturgia pontificali in *Služebnik*. Ibidem iubentur sacerdotes episcopo concelebrantes verba Domini cum ipso eodem instanti secreto recitare (4).

Quam fidem confirmant ea, quae ex praescriptione complurium liturgiarum POPULUS post verba dominica recitata RESPONDERE *debet*. Respondet scilicet populus, aut ipse aut per

(1) Exempla habes apud DANIEL IV, 158 ss., 429; RENAUDOT I, 14, 30; II, 31; pro liturgia russica MALTZEW, *Liturgien* 86. Cf. LISOWSKI, 270; CIEPLAK 49.

(2) Εὐχολόγιον 118.

(3) FRANZ II, 84 ss.; LISOWSKI 269; GOAR, 117; MALTZEW l. c. 382; MAXM. PRINC. SAXONIAE, *Praelectiones de liturgiis orientalibus*. Friburgi 1898, I, 69 ss.

(4) CIEPLAK 52. Cf. n. 126.

diaconum, ad illa verba alta voce: *Amen* (Ita est) (1). Ita ad exemplum in *liturgiis Armenis* tum post verba consecrationis panis, tum post verba consecrationis calicis « Amen » respondetur (2).

277. — Neque *obici* potest per « Amen » populum solummodo *veritatem narrationis evangelicae* de institutione Eucharistiae confirmare (3). Nam: *1*) historia ultimae coenae Domini *remissa voce narratur*, sola verba dominica alta voce proferuntur, et ad ea alta voce per « Amen » respondetur; *2*) similiter respondebatur a populo etiam *in liturgia Latina*, ubi teste Ambrosio (4) et Augustino (5) per « Amen » *veritas corporis Christi* affirmabatur; *3*) talem significationem huic responsioni inesse testatur in Oriente *Ioannes Maro*, patriarcha Antiochenus (6); *4*) maxime hoc elucet ex iis liturgiis, in quibus *loco* « *Amen* » ponuntur vel *ad* « *Amen* » adduntur *verba fidem in mysterium testificantia.*

278. — Ita in *Liturgia Coptica* s. Gregorii respondet populus post consecrationem panis: « Ita est in rei veritate. Amen »; et post calicis consecrationem: « Ita quoque est in rei veritate » (7). In *Canone universali Aethiopum* post verba dominica super panem prolata populus dicit: « Amen, Amen, Amen. Credimus et certi sumus, laudamus te, Domine Deus noster, hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum ». Et verbis super calicem prolatis: « Amen. Vere est sanguis tuus, cre-

(1) Lisowski 214; 238; 271 ss.; Cieplak 50 ss.; Marković 106 ss. Russnak 126 ss.; Franz II, 175 ss.; Varaine 102.

(2) Daniel IV, 463 ss.

(3) Eustratius, Σύνταγμα 125.

(4) « Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est: Verum est » (*De mysteriis* c. 9, n. 54; Ml 16, 407). Similiter Ps.-Ambrosius « Ergo non otiose dicis tu: Amen; iam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi, et tu dicis: Amen, hoc est verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus » (*De Sacram.* IV, 5, 25; Ml. 16, 444, 445).

(5) « Audis enim: corpus Christi, et respondes: Amen » (*Sermo* 272; Ml 38, 1297). Cf. *Sermo* 334, 2 (*Ibid.* 1469).

(6) « Vera protestamur ea, quae sacerdos dixit, quare dum populus hoc loco respondet: Amen, profitetur et credit panem illum vere transmutatum factumque fuisse corpus Salvatoris nostri, vinumque in sanguinem fuisse mutatum » (Petrus Benedictus, *Antirrheticon* II, c. 11).

(7) Renaudot I. 30.

dimus » (1). In *Liturgia* s. Marutae *Syriaca* sacerdos proferendo verba dominica super panem dicit: « Accipite, manducate, credite, et certi estote, atque ita praedicate et docete: quod corpus meum hoc est, quod pro salute mundi frangitur, et illis, qui comedunt illud et credunt in me, dat expiationem peccatorum et vitam aeternam ». Et super calicem: « Accipite, bibite ex eo vos omnes: et credite, certi estote, atque ita praedicate et docete: quod hic est sanguis meus, qui pro salute mundi effunditur: iisque, qui bibunt illum et credunt in me, dat expiationem peccatorum, et vitam aeternam ». Et populus ad utramque consecrationem respondet: Amen (2). Teste Arcudio (3) olim in multis *ecclesiis Graecis* post verba dominica professio fidei sequebatur: « Πιστεύω, κύριε, καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτολοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ ».

Quodsi, non obstantibus his omnibus, nihilominus affirmatur populum protestationibus et confessionibus suis nonnisi *veritatem historiae evangelicae* de institutione Eucharistiae testari (4), respondendum est cum Renaudot (5), talem textuum *interpretationem esse violentam.*

279. — *c*) Post ea omnia, quae dicta sunt de modo pronuntiandi verba dominica in liturgiis orientalibus, mirum non apparebit, quod iisdem in liturgiis post verba prolata et epiclesi nondum dicta **preces et voces** *occurrunt*, *quae corpus Christi* sanguinemque eius iam in **altari praesentia supponunt** (6).

Liturgias has supponere Christum post verba institutionis prolata in altari presentem esse iam aliquo modo inde elucet, quod preces liturgicae ante verba Domini prolata potissimum *ad Deum Patrem* diriguntur, *verbis* autem *prolatis* sacerdos *Christum Dominum* alloquitur. Sed plus adhuc: ipsae orationes liturgicae persuasionem hanc exprimunt. Ita loquitur sacerdos in *Liturgia Syriaca* s. Iacobi post verba institutionis

(1) Renaudot I. 490.
(2) *Ibid.* II, 262.
(3) *De concordia* I, 26; Renaudot I, 214.
(4) Eustratius, Σύνταγμα l. c.
(5) O. c. I. 213.
(6) Cieplak 52 ss.; Lisowski 278 ss.; Marković 108 ss.; Russnak 128 ss.

de « *hoc sacrificio incruento* » (1); in *Liturgia Armenorum*, de « *hoc sacramento salutari* corporis et sanguinis Unigeniti » (2); in *Liturgia Syriaca* s. Ioannis Chrysostomi orat: « Sicut digni facti sumus per gratiam tuam *dono corporis et sanguinis tui* » (3); in *Liturgia Syriaca* Thomae Heracleensis sacerdos supplicatur: « memoriam agimus *coram te* » (4); in *Liturgia* s. Marutae Syriaca: « *in faciem* adoramus te » (5); in *Liturgia Armenorum* sacerdos iubetur per rubricas sacra dona cum « *timore et tremore* » accipere (6).

280. — In non paucis liturgiis orientalibus post verba dominica precatio oblatoria habetur, in qua sacerdos orat: « *Tua ex tuis* tibi offerimus » (τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν, slavice: твоя отъ твоихъ). Precatio haec habetur non solum in *Liturgia Alexandrina* s. Gregorii, sed in aliis quoque liturgiis, ut in *Liturgia Coptica* s. Gregorii, in *Liturgia Armenorum*, in *Liturgiis Graeca* et *Slavica* s Ioannis Chrysostomi et s. Basilii (7). *Sensus obvius* horum verborum est, quod Deo offeruntur « *dona corporis et sanguinis Christi* » mutata ex « *donis creatis* panis et vini ».

281. — *d)* Tandem in liturgiis orientalibus non solum epicleses talis tenoris habentur, in quibus nihil invenitur, quod indicaret consecrationem iam factam esse (8), sed insuper exempla **supplicationum** afferri possunt, quae **Christum in altari iam adesse** supponunt et transsubstantiationem « *voci eius* » *adscribunt*. Ita in *Liturgia Alexandrina* s. Gregorii epiclesis incipit verbis: « Αὐτὸς οὖν δέσποτα, τῇ σῇ φωνῇ τὰ προκείμενα μεταποίησον· αὐτὸς παρών, τὴν μυστικὴν ταύτην λειτουργίαν κατάρτισον » (9); in *Liturgia* s. Gregorii *Coptica* in epiclesi oratur: « Tu, Domine, voce tua sola commuta haec, quae sunt pro-

(1) Renaudot II, 128.

(2) Le Brun, *Explication* c. III. 202 ss. (Apud Cieplak 53; et Marković 109).

(3) Renaudot II, 245.

(4) *Ibid.* 384.

(5) *Ibid.* 262.

(6) Le Brun l. c.

(7) Le Brun l. c.; Daniel IV, 463 ss.; Renaudot I, 31. Cf. Marković 109 ss.; Cieplak 54.

(8) Varaine, 96, 101.

(9) Renaudot, I, 98.

posita; tu, coram nobis positus, perfice nobis hoc ministerium plenum mysteriis » (1).

*Obicientibus* in liturgiis *iam ante verba* dominica de « *sacrificio* » sermonem esse, et vice versa *sacra dona post verba* illa adhuc « *panis et vinum* » vel « ἀντίτυπα » vocari concedimus *ex solis vocibus his argumentum* firmum pro doctrina catholica *peti non posse.* Verum enim est in liturgiis vocabula, quae sensu obvio dona creata significant, cum vocabulis obvie sacramentum significantibus promiscue adhiberi (2). *Si* tamen OMNIA, quae in textibus variarum liturgiarum hucusque consideravimus, SIMUL SPECTANTUR, dubitari nequit ARGUMENTUM NON SPERNENDUM pro doctrina nostra haberi.

***

282. — Omnia *argumenta*, quae pro doctrina catholica adduximus, non solum ostendunt *epiclesim* non esse formam sacramenti, sed *demonstrant* eam NEQUE ESSE CONDITIONEM ad validam consecrationem. Et sane, *duplici modo* posset intelligi epiclesis conditio, sine qua non fieret consecratio. Aut ita, ut verba dominica *non haberent effectum, nisi actu pronuntiaretur haec supplicatio.* Aut ita, ut verba non efficerent, *nisi proferrentur cum intentione* saltem implicita orandi postea epiclesim. Iamvero *utrumque* argumentis supra allatis *excluditur.*

In *s. Scriptura* enim de epiclesi qualibet *ne mentio quidem* fit, et *ratio theologica* demonstrat verba esse formam non solum essentialem, sed *adaequatam* Eucharistiae. *Patres* autem consecrationem verbis fieri docent *liturgiaeque* eam post verba iam peractam supponunt *sine ulla relatione ad epiclesim.* Obiectioni, quae ex duobus Patribus, CHRYSOSTOMO scilicet et DAMASCENO, fieri posset, supra respondimus (3).

283. — *Unum* est ad summum, quod adhuc *obici* posset. Communi et constanti doctrina Patrum consecratio seu transmutatio eucharistica *Spiritui Sancto* attribuitur. Videntur ergo verba effectum non consequi, *nisi consecratio a Spiritu Sancto expostuletur*, quod fit praecise per epiclesim. Ad quod tamen *respondetur*: inde, quod consecratio Spiritus Sancti operationi attri-

(1) *Ibid.*, I, 31.
(2) Cf. n. 206.
(3) Cf. n. 170 ss.; 174 ss.

buitur, *non potest absque* manifesta *fallacia* concludi eam etiam *expostulari debere* in ipsa s. liturgia.

Quod si ulterius urgetur *Patres* non solum Spiritui Sancto consecrationem appropriare, sed constanti consensu docere in s. mysterio *Spiritum Sanctum invocari, responderi debet*: *a*) *negando suppositum* argumenti, scilicet adesse hac in re Patrum consensum; *b*) invocationem *sufficere implicitam,* quae exercite habetur in tota s. liturgia, et praesertim in ipsis verbis consecrationis; *c*) si nihilominus quis putaret conveniens esse, ut explicite quoque consecratio expostuletur, non inde sequeretur eam ad validitatem formae sacramenti conditionem necessariam esse; *ad solam* enim *liturgicam consecrationis explanationem* requireretur.

Et haec de forma ss. Eucharistiae fusius disputanda erant, cum hac in re principalis theologiae separatorum a doctrina catholica deviatio, eaque dogmatica, sit. In aliis quaestionibus, scilicet de materia sacramenti et de modo s. communionis, iam breviores esse possumus, cum manifesto de rebus disciplinae ecclesiasticae per se mutabilis agatur.

## C) — QUAESTIO DE PANE EUCHARISTICO.

### § 1. Doctrina separatorum et doctrina catholica.

284. — Vidimus supra tum libros symbolicos Orientalium separatorum tum theologos recentiores docere **panem fermentatum** esse ad sacramentum ss. Eucharistiae omnino **necessarium** (1). Quod saltem *de necessitate ex praecepto gravi* Christi intelligunt, ut tum ex argumentis, quae afferunt, tum ex directa affirmatione eorum patet. Validitatem sacramenti in azymo confecti aperte quidem vix ullus impugnat; complures autem terminis tam universalibus utuntur, ut per se de necessitate fermentati ad sacramenti *validitatem quoque* intelligi possint; immo aliqui re vera dubium de valida consecratione apud catholicos Latinos exprimunt. *Pauci* solum *validitatem* sacramenti in azymo confecti *expresse agnoscunt* (2).

(1) Cf. num. 25; 91.

(2) Ita ii auctores, qui iam concedunt Christum Dominum ipsum certe vel probabiliter azymum adhibuisse (Avgustyn, Bogdaševsky, Chwolson, alii); sed etiam e. gr. Azari (in opere initio prioris partis tractatus citato), licet aliunde affirmet de fide esse Christum fermentato usum esse (O. c., 177 ss.).

Necessitatem materiae fermentatae ostendere conantur maxime *ex exemplo Christi* et *praxi* eaque universali, ut affirmant, *antiquae Ecclesiae.*

Facilius quidem iam concedunt quidam ex recentioribus (Chwolson, Bogdaševsky, Avgustyn) Christum Dominum ipsum forsitan azymo usum esse; *praxim* autem *hodiernam ecclesiarum orientalium* olim *universalem* in tota Ecclesia fuisse omnes adhuc eadem ratione sustinere videntur, sicuti antiqui polemistae Graeci, de quibus in paragrapho sequente.

285. — Clara et determinata est e contra doctrina catholica: quaestionem de materia ss. Eucharistiae *ad res disciplinares* pertinere. et hac in re *unamquamque ecclesiam valide et licite* ea facere, quod traditio eius per consensum magisterii Ecclesiae approbata ferat.

Plures exstant **authenticae declarationes magisterii,** quibus enuntiatur ecclesiam Latinam rite et legitime panem azymum adhibere, sed simul declaratur utrumque panem, azymum scilicet et fermentatum, iuxta diversarum Ecclesiarum ritum adhiberi et alterutrum validam sacramenti materiam esse.

286. — In Professione fidei Michaelis Palaeologi legitur: « Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia » (1). In Decreto Florentino pro Armenis de solo « pane triticeo » sermo est; Decretum pro Graecis autem declarat: « Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem » (2). Benedictus XIV idem enuntiavit in Epistula sua « *Etsi pastoralis* » ex 26 Maii 1742 (De dogmatibus et ritibus ab Italo-Graecis tenendis atque servandis): « Item profiteri tenentur, tam in azymo quam in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, et sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem » (3).

287. — In novo Codice Iuris Canonici praescribitur *Can. 816:* « In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium

(1) Denzinger, n. 465.

(2) Denzinger, n. 692.

(3) *Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum (Collectio Lacensis),* T. II, 508.

ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicumque Sacrum litet ».

Variis his declarationibus et praescriptionibus diriguntur normae de communione sive in azymo sive in fermentato fidelibus diversorum rituum distribuenda. Quae hac in re a Benedicto XIV et Leone XIII statuta erant, litteris Pii X « *Tradita ab antiquis* » ex 14 Septembris 1912 mitigabantur (1), et a *Codice Iuris* nunc ita stabiliuntur: « Sacerdos sacram communionem distribuat azymo pane vel fermentato, secundum proprium ritum » (*Can. 851, § 1*). « Ubi vero necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato: at suum quisque ritum ministrandi servare debet » (§ *2*). « Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas ut, pietatis causa, sacramentum eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant » (*Can. 866, § 1*). « Suadendum tamen, ut suo quisque ritu fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant » (§ *2*). « Sanctum viaticum moribundis ritu proprio accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto quolibet ritu illud accipere » (§ *3*).

288. — Doctrina haec, quaestionem scilicet de materia ss. Eucharistiae ad disciplinares pertinere, inde a longo tempore *omnino communis* est inter theologos catholicos. In controversiis illis quidem, quae inde a saec. XI inter Latinos et Graecos de pane azymo agitabantur, aliqui ex Latinis quoque exaggerabant, usum fermentati impium dicentes vel ipsam validitatem sacramenti in tali materia confecti in dubium vocantes.

Licet hodie apud eruditos fere communiter in comperto sit ex fontibus revelationis et historia nullatenus demonstrari posse certam speciem panis, aut azymum scilicet aut fermentatum, ad sacramenti licitam confectionem ex praecepto divino requiri, nedum ad eius validitatem necessariam esse, tamen hoc contra theologos Orientis separati adhuc talia affirmantes demonstrandum esse censemus. Et quia necessitatem talem iuris divini exemplo a Christo ipso in ultima coena dato et per praxim priorum saeculorum, universaliter, ut aiunt, fermentato utentium, confirmato demonstrare conantur, ostende-

(1) *Acta Apost. Sedis*, IV (1912), 609 ss.

mus nullo CERTO ARGUMENTO comprobari posse CHRISTUM Dominum in prima ss. Eucharistiae consecratione FERMENTATUM adhibuisse; item PERPERAM omnino *affirmari* USUM FERMENTATI olim in TOTA ECCLESIA universalem fuisse. Demonstrationi nostrae brevem CONSPECTUM famosae et longae illius de usu panis eucharistici CONTROVERSIAE praemittimus.

## § 2. — Brevis conspectus controversiarum de pane eucharistico (1).

289. — *Usque* ad tempus MICHAELIS CAERULARII *nulla* erat inter Latinos et Graecos *disceptatio* vel oppositio ob diversitatem aliquam in materia ss. Eucharistiae; *neque* PHOTIUS hac in re Ecclesiae Romanae aliquid obicit. Quod tamen non inde explicandum est, quia tempore Photii Ecclesia occidentalis pariter ac orientalis fermentato uteretur, ut scribit AZARI (2), neque inde, quod Orientales usum Romanae Ecclesiae in azymo celebrandi ignorarent, ut innuit AVGUSTYN (3); sed potius inde, quod prioribus illis saeculis azymus et fermentatus promiscue adhibebatur iuxta diversarum ecclesiarum aut temporum sive necessitatem sive opportunitatem, et quia quaestio haec de panis qualitate iam tunc disciplinaris censebatur.

290. — *Initium controversiae* factum est per epistolam a. 1053 a LEONE, metropolita Achridensi in Bulgaria, ad Ioannem Tranensem scriptam, in qua Latini praeter alia etiam ob usum panis azymi accusantur (4). Epistolam hanc, quae mox a Cardinali HUMBERTO in latinam linguam versa est, alia (vel potius sermo aliquis) sequebatur, in qua argumentatio contra azymos adhuc complebatur (5).

Accusationes Leonis Achridensis refutavit, magis tamen in genere, ipse LEO IX papa († 1054) in sua secunda *epistola*

(1) Inter scripta hanc rem pertractantia et initio prioris partis tractatus indicata cf. praesertim M. JUGIE, *Theologia dogmatica christianorum orientalium*, pp. 311 ss.; et B. LEIB, *Deux inédits*, pp. 9 ss.; necnon C. WILL, *Acta et scripta*.

(2) L. c., 176.

(3) L. c., 645.

(4) Mg 120, 836 ss.

(5) Edid. Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, 1886, 421 ss. et 1887, 150 ss. De tertiae epistolae authenticitate (ab aliquibus etiam de huius secundae) dubitatur. Cf. JUGIE, o. c., 320.

*ad Michaelem Caerularium* ex a. 1054 (1). Fuse et prolixe respondit epistolis metropolitae Achridensis Cardinalis Humbertus († 1061) eodem anno 1054 speciali tractatu (2).

Interea Nicetas Stethatus seu Pectoratus (ex medio saec. XI) duos libellos conscripsit, in quibus necessitatem fermentati adhibendi ex exemplo Christi, canonibus apostolorum et conciliis demonstrare vult (3); quibus argumentis Humbertus alio tractatu respondit (4).

Eodem tempore, quo prima haec de pane eucharistico disceptatio non absque omni vehementia fiebat, quaestio de pane azymo, modo tamen magis tranquillo, inter Petrum Gradensem patriarcham et Petrum patriarcham Antiochenum, agebatur (5).

291. — *Communione* Graecorum cum Ecclesia Romana 16 Iulii 1054 *abrupta*, disputatio *adhuc acrior* evasit et etiam *in alias Orientis ecclesias* Romae infensas translata est.

Apud *Bulgaros* contra azymum scribebat medio saec. XI Leo metropolita Preslaviensis (Marcianopolis) (6); in Russia oppugnat usum Latinorum Ioannes, metropolita Kioviensis in sua *Responsione ad antipapam Clementem III* ex a. 1089 (7).

Sat conspicuus est numerus theologorum Orientis separati, qui contra azymum scribebant. Ex *saec. XI* praeter auctores modo notatos nominandi sunt Nicetas Nicaenus (8), et Theophylactus Achridensis (9). Ad *saec. XII* pertinent: Ioannes Phournesius (10), Nicetas Nicomediensis (11), Nicetas Sei-

(1) Ml 143, 773 ss.

(2) *Adversus Graecorum calumnias* (Ml 143, 931 ss.).

(3) Mg 120, 1011 ss.; Ml 143, 973 ss.; Hergenröther, *Monumenta*, 139 ss. Cf. Will, *Acta et scripta*, 130 ss.

(4) Will, 151. — De conversione Nicetae vide Leib, o. c., p. 15, adn. 26.

(5) Will, 205 ss.; Mg 120, 775 ss.

(6) Edid. Pavlov, Критическіе опыты, 191 ss. Ab aliquibus opella haec attribuitur Georgio Kioviensi vel censetur posterior quaedam compilatio in Russia facta (Pavlov); ab aliis libellus putatur esse recensio interpolata epistolae Leonis Achridensis (Jugie 551).

(7) Edid. Pavlov, o. c., 169 ss.

(8) *Opusculum contra Latinos*. Ed. Pavlov, o. c., 135 ss.

(9) *Epist. ad quemdam ex suis familiaribus*, de iis quorum Latini incusantur, n. 8 ss. (Mg 126, 232 ss.).

(10) Opera ex parte edita in A. Demetrakopulos, Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη. Lipsiae 1886; et a G. Palamas, Hierosolymis 1860.

(11) In disputatione cum Anselmo Havelbergensi (Ml 188, 1209 ss.).

des (1), Theodorus Prodromus (2), Ioannes Zonaras (3), Euthymius Zigabenus (4), Eustratius Nicaenus (5), Nicolaus Methonensis (6), Symeon Hierosolymitanus (7), Ioannes Hierosolymitanus (8), Ioannes Antiochenus (9); in *Russia* Nicephorus Kioviensis (10). Huic tempori adscribendi esse videntur tres tractatus anonymi: Ps.-Athanasii, *Libellus de azymis* (11), Ps. Damasceni, *De Paschate disputatio* (12), et *Opusculum contra Francos* (13).

In hoc saeculo XII pugna contra azymos culmen attigit. Ex *saeculo XIII* notantur solum Nicolaus Hydruntinus (14), qui initio saeculi contra Latinos disputavit, et Germanus II (15).

292. — *Praxim occidentalem* azymorum defendebant praeter Humbertum Cardinalem iam nominatum Anselmus Havelbergensis († 1155) in suis *Dialogis* (16), Bruno Astensis seu Signiensis († 1123) (17), Anselmus Cantuariensis († 1109) (18). Alii quoque auctores quaestionem hanc in suis scriptis tangebant, ut Innocentius III, Guibertus Novigentus, Rupertus Tuitiensis, Petrus Damiani, Alexander Halensis, Scotus, Thomas Aqu., Bonaventura, alii scholastici.

(1) *Tractatus de Paschate* (ex parte apud Mg 127, 1485 ss.); *Opusculum contra Latinos* (Pavlov, o. c., 186 ss.).

(2) Opera apud Mg 133.

(3) Apud Mg 137, 138.

(4) *Comm. in Mt* (Mg 129, 651 ss.); *Panoplia* (Mg 130, 1179 ss.).

(5) *Opusculum de azymis* (Ed. in A. Demetrakopulos, Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη. Lipsiae 1886).

(6) *Dissertatio de azymis* (Ed. A. I. Arsenij, Novgorod 1897).

(7) Ed. B. Leib, in *Orientalia christiana*, II, 9 (*Deux inédits byzantins*) pp. 85 ss. De authenticitate cf. ibid. pp. 45 ss.; M. Jugie, *Theologia*, 407, adn. 1; *Echos d'Orient*, XXX, 421 ss.

(8) *Disceptatio de azymis* (in Dosithei, Τόμος ἀγάπης, Iassii 1698, pp. 527 ss.).

(9) Edid. B. Leib, o. c., pag. 112 ss.

(10) Pavlov, o. c., 62 ss.

(11) Mg 26, 1327.

(12) Mg 94, 413 ss.

(13) Apud I. Hergenröther, *Monumenta graeca*, 62 ss.

(14) *Opusculum contra azymos* (apud I. A. Arsenij, Novgorod 1896).

(15) In opusculo hucusque inedito. (Cf. Jugie, *Theologia*, 424).

(16) *Dialogorum liber III. De diverso Eucharistiae ritu Graecorum et Latinorum* (Ml 188, 1209 ss.).

(17) *De sacrificio azymo, ad Leonem monachum* (Ml 165, 1085 ss.).

(18) *De azymo et fermentato* (Ml 158, 541 ss.).

293. — *Saeculo XIV* mentes theologorum Orientis magnae illae lites hesychasticae fere unice occupabant; et postquam in Concilio Florentino authentice declaratum erat quaestionem de pane eucharistico esse mere disciplinarem et Graeci cum Ecclesia Romana sese univerant, omni disceptationi finis impositus esse videbatur. Scripserunt tamen etiam in hoc tempore ex Graecis contra azyma aliqui, et adduci possunt (omissis illis, qui passim in operibus usus Latinorum carpunt, sicuti Symeon Thessalonicensis) ex saec. XIV: Matthaeus Blastares (1), Matthaeus Panaretus (2) et Barlaam adhuc schismaticus (3); ex saec. XV Iosephus Bryennios (4); quos *refutabant* ex Graecis ipsis catholici Gregorius Mammas (5) et Iosephus Methonensis (6).

294. — In *Occidente* loco inutilis polemicae inde a saec. XV diligenter investigari coepit, quid ex fontibus et monumentis historicis de usu panis sive azymi sive fermentati in temporibus antiquis Ecclesiae erui possit. Opera quae post Nicolaum Cusanum († 1464) de hoc argumento conscripsere I. Bona († 1674), F. Macedo († 1681), Iac. Sirmond († 1651), I. Ciampini († 1698), I. Mabillon († 1707), P. Le Brun († 1729), M. Le Quien († 1733), initio tractatus nostri notavimus; et addi possent his nominibus adhuc C. Baronius († 1607), Sev. Binius († 1641), Th. Raynaudus († 1663), Chr. Lupus († 1681), I. Cabassutius († 1685), I. M. Thomasius († 1713), E. Martène († 1734).

295. — In *Oriente nullae* huiusmodi *inquisitiones* historicae, quantum scio, factae sunt. Ceterum verum est doctrinam catholicam et praxim Latinorum ultimis saeculis data opera et specialibus tractatibus ab Orientalibus non multum oppugnatam fuisse. Praeter *Manuale* Maximi Peloponnesii (7), quod fusius ob hanc rem Latinos oppugnat, unum solum exstat opus

(1) In Tractatu nondum edito. (Cf. Jugie, 451).

(2) Κατὰ τῶν λατινικῶν ἀζύμων ἀνασκευαστικὸς λόγος. (Ed. P. Risso in commentariis *Roma e l'Oriente* V, n. 57, 58).

(3) In *Dialogo* hucusque inedito. (Cf. Jugie, 472).

(4) In suo *Sermone consultatorio de Ecclesiarum unione*. (In editione operum Bryennii a E. Bulgaris Lipsiae 1768-1784 publicata).

(5) In *Dissertatione de azymis*, nondum in lucem edita. (Cf. Jugie, 488).

(6) In *Apologia pro synodo Florentina* (Mg 159, 1109 ss.).

(7) Ἐγχειρίδιον κατὰ τοῦ σχίσματος τῶν παπιστῶν. (Ed. a Dositheo, Bucarestii 1690).

apud Graecos (1) et unum apud Russos (2), quod data opera contra azymos agit. Sed tum *libri symbolici*, tum *Compendia* aliique libri separatorum de sacramento Eucharistiae tractantes praxim Orientalium ita proponunt atque defendunt, acsi unice recta esset, et catholicorum Latinorum disciplinam oppugnant iisdem fere rationibus, quibus polemistae saec. XI et XII usi sunt.

Iuvabit hic breviter ea ARGUMENTA notare, quibus Graeci azymos impugnabant, necnon ea, quibus Latini sese defendebant. Praenotandum est ex utraque parte in hac pugna exaggeratum fuisse; non solum quatenus aliquando rationes ad rem non pertinentes ad demonstrationem adducebantur, vel argumentatio ex factis vel dictis dubiis, immo spuriis, fiebat; sed etiam quatenus aliquando, etiam ex parte Latinorum, usus proprii legitimitas ita defendebatur, acsi usus contrarius illicitus esset.

296. — *Apud Latinos* tamen communiter *validitas* sacramenti in fermentato confecti *agnoscebatur*. « Nos vero azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes ipsorum fermentum nec vituperamus nec reprobamus » (3). « Illud, quod de panibus fermentatis sacramenta [Graeci] conficiunt, convenienti aut verosimili ratione defenditur » (4). « Nam et azymum et fermentatum sacrificans panem, sacrificat » (5). « Sicut iste panis azymus, sive fermentatus, dat vitam transitoriam; ita corpus eius aeternum: non quia fermentatus est, vel azymus » (6). « Patres ac doctores studuerunt ex fermentato pane Deo omnipotenti sacrificium offerre, tamen numquam invenimus illos nostram oblationem evacuantes et deridentes... Nos vero veraciter tenemus, imo firmiter credimus, quia quamvis sint diversi mores ecclesiarum, tamen una est fides, qua indissolubiliter unitur capiti suo id est Christo » (7).

(1) EUSTRATIUS ARGENTIS, Σύνταγμα κατὰ ἀζύμων. Lipsiae 1760.

(2) BASILIUS OSTROGENSIS, Книжица. (Ed. 1588; citatur apud JUGIE 560).

(3) GREGORIUS VII, *Epist. ad Gregorium Synnadensem* (Ml 148, 573).

(4) GUIBERTUS NOVIGENTUS, *Gesta Dei per Francos*, l. I, c. 2 (Ml 156, 687).

(5) ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De azymo et fermentato*, c. 1 (Ml 158, 541).

(6) *Ibid.*, 542.

(7) BRUNO SIGNIENSIS, *De sacrificio azymo* (Ml 165, 1085). Similiter DOMINICUS GRADENSIS.

Multorum scholasticorum autem medii aevi opinio erat ipsam Ecclesiam Romanam aliquo tempore fermentatum adhibuisse [1]. Ideoque a communi persuasione discessisse censeatur Petrus Damiani, si scribit: « Panis fermentatus non debet offerri in sacrificium tum ratione facti, tum ratione mysterii... Graeci tamen in suo pertinaces errore de fermento conficiunt » [2]. Verba haec postea integre exscripsit Innocentius III in opere suo de ss. Eucharistia, quod composuit theologum privatum agens [3].

297. — Etiam *apud Graecos aliqui plane moderate* de usu Latino loquuntur. « Necnon indifferentem relinquam cum aliis etiam de azymis quaestionem » [4]. « Non igitur neque propter azyma neque propter ieiunia duros nos habebimus erga inflexibile gentis huius genium » [5]. « Si forte essem, ubi nullatenus fermentatum habere possem... et ego missam cantare ac Domino sacrificium altaris offerre vellem, ego profecto azyma non horrerem » [6]. Concedebant quoque aliqui usum azymorum in Ecclesia Romana iam antiquum esse; ita e. gr. Theodorus Podromus [7].

*Magna pars* theologorum *Orientis separati* tamen *azymos* panes *saltem ut illicitos* oppugnabat.

298. — Provocabant ad *traditionem apostolicam* (Pectoratus, Nicetas Nicaenus, Leo Achrid., Petrus Antiochenus, Symeon Hierosolymitanus, opusculum contra Francos, Theophylactus, Nicetas Nicomed.). Apostoli, aiebant, fermentatum adhibebant, iam propterea, quod ritibus legalibus Iudaeorum oppositi erant. Confirmatur iuxta eos usus antiquissimus fermentati vetustissima consuetudine adhibendi in liturgia cultrum ad divisionem panis (Theophyl.). Deinde iam ipsum *nomen* ἄζυμος, quod tempore apostolico et posterioribus temporibus de

(1) Ciampini, *Conjecturae*, 140; Hergenröther, *Azymiten*, 1780; Le Quien, *Dissertatio de azymis* (Mg 94, 398). Item Avgustyn, Споръ Грековъ, 661, qui tamen non satis accurate de re loquitur.

(2) *Expositio Canonis Missae*, 2 (Ml 145, 881).

(3) *De sacro altaris mysterio*, l. IV, c. 4 (Ml 217, 855.

(4) *Epist. Michaelis Caer. ad patriarchas*, n. 22 (Mg 120, 812).

(5) Theophylactus, *De iis, quorum Latini incusantur*, 15 (Mg 126, 245)

(6) Nicetas Nic. apud *Dial. III* Anselmi Havelbergensis, c. 19 (Ml 188, 1239).

(7) Apud Avgustyn, l. c., 663.

pane eucharistico adhibetur, argumentum ipsis est pro perpetuo usu fermentati in Ecclesia.

Contendunt IPSUM CHRISTUM FERMENTATO USUM esse, cum in s. Scriptura in narratione ultimae coenae nomen ἄρτος occurrat; exemplum Christi est igitur aliud pro usu fermentati argumentum. Ceterum in ulteriore huius argumenti explicatione eodem modo in diversas sententias abeunt, sicuti hodierni theologi orientales, de quibus supra diximus (1). Alii enim dicunt Dominum non coenam legalem egisse, sed aliam, ordinariam coenam in fermentato (Leo Preslav., Pectoratus, Petrus Ant., Symeon Hieros., Ps.-Athanasius, Ps.-Damascenus), alii censent eum consecrasse in fermentato coena paschali dumtaxat finita (Caerularius, Leo Achrid., Ioannes Ant.), vel in ipsa coena legali fermentatum adhibuisse (Euth. Zigabenus).

299. — Aliqui iam ex sola SIGNIFICATIONE ET USU VOCIS ἄρτος rem suam satis superque comprobari censent (Leo Achr., Pectoratus, Petrus Antioch., Symeon Hierosol., Ioannes Antioch.). Significat enim ἄρτος (ab ἄρτιος = perfectus, sec. Pectoratum; ab αἴρω = levare, sec. Leonem Achrid.) *panem perfectum*, vivum, optime idoneum ad conficiendum corpus Christi vivum et divinum, dum azymus sit *res inanimata et mortua* (Leo Achrid., Leo Preslav., Pectoratus, Petrus Antiochenus, Ioannes Antiochenus, Nicephorus, Ps.-Athanasius), immo vilis (Ioannes Antioch.) et peccati symbolum (Leo Presl.).

Saepissime Latinis obicitur, quod more suo IUDAIZANT seu Iudaeis sese assimilant. Legalia iudaica iam cessarunt et observari non debent; secus enim etiam alia Iudaeis in V. T. praescripta observanda essent (Leo Achrid., Pectoratus, Nicetas Nicaenus, Eustratius Nicaenus, Leo Preslav., Caerularius, Petrus Antioch., Ioannes Antiochenus, Nicephorus).

300. — *Ad ea, quae Latini* ex quibusdam textibus *s. Scripturae* (1 Cor. 5, 8; Gal. 5, 9 et aliis) pro usu suo deducebant, Orientales recte respondebant textus tales sensu spirituali intelligendos esse (Leo Achrid., Pect., Caerul.). Provocabant adhuc ad exemplum *Melchisedech* (Leo Achrid., Leo Presl., Symeon Hieros.) et ad *Concilia Canonesque* apostolorum (Pect., Nicetas Nic., Symeon).

(1) Cf. n. 57 ss.

Aliqui oppugnatores azymorum *usum* hunc HAERETICALEM nominabant et ad haereses diversas ducere affirmabant. Nominabant praesertim Theopaschismum (Pectoratus), Apollinarismum (Pector., Ps.-Athanasius, Nicephorus, Ioannes Antioch.), Nestorianismum (Leo Preslav.), Monophysitismum et Monotheletismum (Ioannes Ant.). Quare aliqui affirmabant usum azymorum praecise *ab haereticis in Ecclesiam* occidentalem transiisse (Nicetas Nicaenus), dum alii eum a Iudaeis repetebant (Pectoratus), vel ex concessione ab apostolis data deducebant (Petrus Antioch.).

301. — *Latini* imprimis principalia ARGUMENTA GRAECORUM REFUTABANT. Latini utentes azymo *non iudaizant*; non enim ob imitationem Iudaeorum ita agunt (Anselmus Cantuar.). Ceterum Christus non venit legem solvere, sed adimplere (Humb., Bruno); multa, quae Iudaei observabant, in Ecclesia quoque retinentur (iidem); et fermentatum quoque in V. T. adhibebatur (Humb.). Contra argumentum ex vocabulo ἄζυμος et eius significatione petitum theologi Latini diversas significationes vocis huius exhibent vocabulumque in s. Scriptura pro azymo quoque adhiberi demonstrant; fallacias, quibus auctores Graeci ostendere conabantur *azymos esse rem inanimatam* et corpus Christi vivum significare non posse, detegunt (Humb.). Ex *Conciliis et Canonibus* apostolorum nihil contra usum Latinum demonstrari potest, cum ibi solum communicatio cum Iudaeis prohibeatur (Humb.).

Invocant deinde Latini pro se TRADITIONEM ANTIQUAM (Humb., Leo IX, Anselmus, Bruno), quam ipsi Orientales agnoscebant, usum occidentalem non vituperantes (Leo, Bruno). Usum hunc tenuit Petrus apostolus (Leo), Clemens aliique papae (Bruno), et tota Ecclesia Romana, quae ceteris praecellit et primatum habet (Leo, Anselmus, Bruno). Immo *ipse Christus in ultima coena* et in oppido Emmaus azymo usus est, et similiter apostoli (Leo, Humb., Bruno, Anselmus).

SCRIPTURA usum azymi commendat: est enim in V. T. praefiguratus, et in N. T. pro symbolo puritatis accipitur (1 Cor. 5, 8; Gal. 5, 9), fermentum pro symbolo peccati (Lc. 12, 1) adhibetur (Anselmus, Bruno). Optime igitur azymus purus ad SIGNIFICANDUM et conficiendum CORPUS Christi PURUM convenit (Humbertus), dum fermentum impurum sit (Humb., Bruno).

302. — Etiam ex parte Latinorum disputatio aliquando non satis moderata erat, licet validitatem sacramenti in fermentato confecti communiter agnoscerent. Praesertim Humbertus verbis durioribus utitur et usum Graecorum AD DIVERSAS HAERESES (Manichaeismum et Marcionismum, Theopaschismum, negationem resurrectionis) ducere affirmat.

Ratio autem, cur tali ardore, immo vehementia, disputabatur, ea erat, quod theologis utriusque partis, maxime autem Graecis, *non satis persuasum* erat *agi de re disciplinae* ecclesiasticae per se indifferentis et mutabilis. Et re vera, theologi Orientis separati ita loquebantur, et ita plerumque hucusque loquuntur, acsi ab usu panis fermentati aut ipsa sacramenti veritas penderet, aut saltem de gravi praecepto divino ageretur.

*Duo sunt* hucusque *Orientalium argumenta* praecipua: *a*) usum fermentati docuit **ipse Dominus exemplo suo;** *b*) eum commendat **antiqua et universalis traditio.** De his argumentis nunc aliquid dicendum erit.

### § 3. — **Christum exemplo suo fermentati usum docuisse nulla ratione probatur.**

303. — Orientales, qui pro necessitate communionis sub utraque specie et communionis parvulorum praeceptum positivum Christi invocant, concedunt NULLUM haberi tale MANDATUM Christi, QUO USUS CERTI PANIS, azymi aut fermentati, iuberetur. Dicunt autem Dominum **exemplo suo in prima consecratione** *docuisse*, quinam panis postea in Ecclesia esset adhibendus. Quare maxime solliciti erant polemistae Graeci, ut Salvatorem in fermentato confecisse ostenderent. Sed ipsi Latini quoque ad usum Latinum comprobandum saepius sic argumentabantur: hac in re Christum (quem in azymis consecrasse dicebant), imitandum esse; ita praeter illos qui directe Graecos refutabant et de quibus supra diximus, alii quoque theologi, ut BEDA, RABANUS MAURUS, RUPERTUS TUITIENSIS.

304. — Certum tamen est **ex solo exemplo Christi nullatenus deduci posse** panem, quo usus est ipse, etiam a nobis esse adhibendum, nedum hoc ex lege divina praescribi, nisi insuper positive ostendatur Salvatorem voluisse, ut Ecclesia hac quoque in re ipsum imitaretur. Quod ceteroquin iam aliqui ex veteribus polemistis Graecis concedebant. Non omnia, quae

Chistus fecit, aiebant, imitanda sunt a nobis, secus enim etiam circumcidi deberemus et agnum paschalem comedere (Nicetas Nicaenus), vel Eucharistiam sedendo et in vino ex Palaestina asportato sumere (Theophylactus). Concedunt hoc etiam hodie plures theologi recentes Orientis separati: Augustyn scribit nil ex sacra Scriptura pro usu fermentati erui posse (1), Bogdaševsky concedit Christum in azymo confecisse, sed inde nihil pro usu Latinorum deduci posse (2). Et haec est nunc persuasio communis theologorum catholicorum.

Commendaretur tamen certe ritus fermentati, si *ostendi posset Salvatorem fermentato usum* esse in prima sacrifici eucharistici celebratione: praesertim si accederet universalis et constans priorum saeculorum consuetudo in fermentato celebrandi, ut affirmant Orientales.

305. — *Quaestio,* quo pane Christus Dominus usus sit, cum alia quaestione *cohaeret,* **qua die Pascha celebraverit** et qua die mortuus sit.

Ipsi Orientales concedunt quaestionem hanc esse *valde difficilem* et contricatam (3), eamque hucusque nullam responsionem invenisse, quae plene satisfaceret (4); ad eam solvendam multa ex historia et ex legibus canonicis et ritualibus Iudaeorum sciri oportere, neque sufficere nosse posteriores praescriptiones de celebratione Paschae in Talmud contentas, sed antiquiorum quoque consuetudinum cognitionem necessariam esse (5). Inde iam clare apparet, *perperam ex re tam incerta* aliquid ad ritum sacrificii nostri quotidiani concludi, qui *determinatus* esse debet. Quia tamen theologi separati adhuc ad exemplum Christi provocant, aliquid de hac re in tractatu nostro est dicendum.

Et *de die hebdomadae* quidem, qua Christus ultimam coenam agebat et qua passus est, *plena est certitudo.* Comparatis enim textibus s. Scripturae (Lc. 24, 21; 24, 13; 24, 1; Mc. 16, 1; Mt. 28, 1) omnino elucet Salvatorem nostrum fer. V vespere coenam ultimam cum discipulis egisse, fer. VI passum esse, die Dominica resurrexisse.

(1) Споръ Грековъ 664.
(2) Тайная вечеря 12.
(3) Bogdaševsky l. c. 1; Malinovsky IV, 143.
(4) Chwolson, Послѣдняя пасхальная вечеря 431, 448.
(5) *Ibid.* 465.

306. — Tota *difficultas* est de *determinanda die mensis* (Nisan), qua coena ultima fuerit (1). Ex lege Moysis (Ex. 12, 6; 12, 18; Lev. 23, 5; Num. 28, 16-18) et ex Ios. Flavio (Bell. Iud. VI, 9. 3) *coena paschalis* celebranda erat *die 14 Nisan* vespere (2). Hac die post meridiem removebatur omne fermentum, et *inde ab hora circiter tertia mactabantur agni* in templo; vespere coena habebatur. Sequens dies, 15 Nisan, erat dies solemnis: solemnitas tamen, ex more Iudaeorum, computantium dies a vespere, iam vespere diei 14 Nisan incipiebat. Per se vocabatur demum haec solemnis dies (15 Nisan) « prima dies azymorum »; sed quia iam a meridie diei 14 Nisan omne fermentum removendum erat, usus invaluit ipsam eam diem *14 Nisan*. licet ferialem, « *primam diem azymorum* » vocandi.

307. — Ex narratione synopticorum Christus Dominus « *die azymorum* » (Lc. 22, 7), « *prima die azymorum* » (Mt. 26, 17; Mc. 14, 12), « *quando Pascha immolabant* » (Mc. 14, 12), « *die, in qua necesse erat occidi Pascha* » (Lc. 22, 7), discipulos misit, qui « *pararent Pascha* » (Mt. 26, 18-19; Mc. 14, 12-13; Luc. 22, 8, 11, 13). Vespere autem huius diei Salvator « *discubuit* » ad Pascha (Mt. 26, 20; Mc. 14, 18; Lc. 22, 14), quod « *desiderio desideravit manducare cum discipulis* » (Lc. 22, 15).

Ioannes autem evangelista narrat Iudaeos sequenti die (fer. VI) mane « non introisse in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut *manducarent Pascha* » (Io. 18, 28).

Cum igitur ex *narratione synopticorum* videretur fer. V, dies coenae Domini, fuisse *14 Nisan*, qua die ex lege Pascha comedebatur, et fer. VI dies solemnis Paschae: *iuxta Ioannem* dies *14 Nisan fuisset feria VI*, qua Dominus crucifixus est, et solemnis dies Paschae fuisset Sabbato. Quod ultimum *alii quoque textus* evangelii *s. Ioannis* confirmant. Dicit enim (13, 1) Dominum Iesum coenam cum discipulis celebrasse « *ante diem festum Paschae* »; cum igitur coena vespere celebrabatur et usque ad noctem protrahebatur, et dies ex more computandi iudaico iam a vespere incipiebat, coena die feriali, 14 Nisan, fuisset. Quod ex Io. 13, 29 quoque confirmatur. Cum

(1) Praeter libros et articulos initio huius fasciculi notatos conferri adhuc possunt, quae recentissime in commentariis « *Biblica* » IX (1928) scripserunt K. Schoch (*Christi Kreuzigung am 14 Nisan*, pp. 48 ss.), et I. Schaumberger (*Der 14 Nisan als Kreuzigungstag und die Synoptiker*, pp. 57 ss.).

(2) Dies modo nostro (a media nocte ad mediam noctem) computamus.

enim Iudas e coenaculo exiisset, putabant quidam discipuli eum ad ea, « *quae opus sunt ad diem festum* » emenda ivisse (Io. 13, 29); quod tamen non licuisset, si dies festus iam coepisset. Tandem vocat Ioannes Sabbatum in hebdomada passionis « *magnum diem illum Sabbati* », cum feriam VI simplici nomine « *Parasceve* », qua omnis feria VI appellabatur, designet (Io. 19, 31; 19, 14).

Sed *ipsi synoptici* quaedam habent, ex quibus concludendum videretur feriam VI *non fuisse diem solemnem 15 Nisan. Clamorosum* illud *iudicium*, praeparatio crucifixionis, *angariatio crucis* per Simonem Cyrenaeum, ex villa venientem, ipsa crucifixio, sepultura Christi et advolutio lapidis (Mt. 27, 32; 27, 59, 60; Lc. 23, 26; 23, 50-53; cf. Io. 19, 38) cum *quiete die festiva* Iudaeis praescripta componi posse non videntur. Re vera mulieres demum mane diei Dominicae (« cum transisset Sabbatum « Mc. 16, 1) emptis aromatibus ad ungendum corpus Iesu properant. Insuper *synoptici quoque* feriam VI nomine « *Parasceve* » appellant (Mc. 15, 42; Lc. 23. 54).

308. — Nihilominus dixerunt *a*) aliqui Christum Dominum una cum Iudaeis die 14 Nisan coenam paschalem egisse, diem crucifixionis fuisse 15 Nisan seu diem solemnem Paschae; et secundum hoc textus s. Ioannis et textus synopticorum modo allatos explicandos esse. Alii autem *b*) censent Christum coenam die 13 Nisan egisse, et quidem vel α) *non paschalem seu legalem* coenam, sed aliam, seu suam propriam coenam (sine agno paschali), vel β) *anticipasse* fer. V coenam paschalem, quam Iudaei 14 Nisan (fer. VI) secundum legem celebrabant. Alii iterum *c*) rem ita explicant, quod Salvator die 14 Nisan coenam egerit, accusatores autem eius Iudaei die 15 Nisan; aut α) quia *usus* obvaleret festum paschale transferendi, si in feriam VI incidisset, *ne* scilicet *unum festum statim post aliud* sequeretur; aut β) quia ob *diversum computum* novilunii vel ob calendarium diverse ordinatum festum non ab omnibus eadem die celebraretur. Tandem *d*) quidam opinantur Christum Dominum die 13 Nisan, principes sacerdotum die 14 Nisan agnum comedisse, quia mactatio et oblatio agni iam fer. V, die 13 Nisan, fiebat et coena paschalis aut hac die aut sequenti agi potuit, *si dies 14 Nisan, in feriam VI* inciderit.

309. — *a*) *Prima opinio*, non obstante auctoritate theologorum et exegetarum eam proponentium (Toletus, Langen,

Schegg, Fillion, Keil, Patrizi, Corluy, van Bebber) *pārum probabilis* est. Ea enim *1*) non concordat *cum traditione*, quae in die 14 Nisan passionem Christi ponit (1). Insuper militant contra eam *2*) omnes illi *textus sive Ioannis sive synopticorum*, quibus fer. VI ut dies ferialis describitur (nomen « Parasceve » pro fer. VI, « magnus dies Sabbati » pro Sabbato, iudicia, negotia, labores fer. VI peracti); et *3*) expressa affirmatio s. Ioannis Iudaeos fer. VI voluisse « *manducare Pascha* ». — Valde improbabile est *festum paschale* ordinario nomine « *parasceves* » appellari et Sabbatum subsequens « magnum diem » vocari. Et quamvis textus Io. 13, 1 (« ante diem festum Paschae ») adhuc commode explicari posset, dicendo evangelistam dies non more iudaico computasse, et item textus Io. 13, 29 (Iudam exiisse ad emendas res pro festo necessarias), cum non sit omnino certum emptionem talem die festo non licuisse; tamen remanent adhuc omnes alii textus super allati sententiae illi contrarii. *Neque dicere iuvat legem quietis* pro aliis festis *minus strictam* fuisse quam pro Sabbato. Nam ut demonstrat Chwolson (2) et Knabenbauer (3) multa ex iis, quae fer. VI hebdomadae passionis acta esse narrantur, die solemni illicita erant. *Neque* « *manducatio Paschae* » *de alia coena* seu comestione ex sacrificio paschali explicari potest, ut fuse Knabenbauer exponit (4). Dixerunt quidam *licuisse* comestionem agni paschalis *ad mane 15 Nisan* transferre; Iudaeos ergo, vespere de Iesu capiendo et condemnando sollicitos, coenam paschalem demum feria VI, die 15 Nisan, celebrasse. Sed *unius solius* rabbi Akibae ex tempore posteriore fuit sententia licere agnum paschalem comedere « usque ad ortum aurorae »; Iudaei autem demum « *ut factus esset dies* » (ὡς ἐγένετο ἡμέρα) Iesum ad iudicium suum duxerunt (Lc. 22, 66), et postea dumtaxat ad Pilatum iverunt.

(1) Testimonia vide apud Knabenbauer (*Commentarius in Matthaeum*², II, 425 ss. et Linder (*Zeitschrift für kath. Theologie* 1915, 600). Traditio haec ex observationibus astronomicis confirmatur, iuxta quas in annis 28–33 post Christum natum feria VI numquam in diem 15 Nisan, bis autem in 14 Nisan cadit. De qua re vide duos articulos commentariorum « *Biblica* » (Schoch et Schaumberger) supra citatos.

(2) Послѣдняя пасхальная вечеря 454 ss.

(3) *Commentarius in Matthaeum*, 418 ss., 424 ss.

(4) *Ibid.* 413 ss.

310. — *b*) Coenam Christi fuisse *pridie diei,* qua ex lege agnus paschalis comedebatur, igitur die 13 Nisan, *haud pauci putant. Sed* α) opinio, quam praeter theologos Orientis separati supra nominatos aliosque recentiores etiam aliqui catholici (Lamy, Calmet, S. Smith, Batiffol) tenent et quam iam quidam scriptores antiquae Ecclesiae (Clemens Alex., Apollinarius, Hippolytus), proposuerant, scilicet Christum Dominum *non coenam legalem* Paschae celebrasse, sed aliam coenam sine agno paschali egisse, *non* videtur *satis probabilis.* Nam *1*) *argumenta,* quibus fulcitur, sat *debilia* sunt; et *2*) *graves difficultates* ex textu evangelico opponi possunt. Nonnullas rationes a veteribus polemistis Graecis propositas (ex *verbo* ἄρτος; inde quod Christus et discipuli eius discubuerunt, et *non stabant*) *nil valere,* hodie omnes facile concedunt. Aliae autem *mere negativae* sunt (Christum non potuisse infringere legem anticipando coenam legalem; Patres docere Dominum die 14 Nisan passum esse; nil legi in evangeliis de agno paschali, azymis, herbis amaris; iam in vigilia diei 14 Nisan quamdam coenam similem coenae paschali locum habuisse); et ad summum aliquae ex his rationibus aliorum quidem sententiam excludere, non tamen hanc opinionem firmare valent.

E contra explicatio talis *vix componi posse* videtur cum iis, quae ab evangelistis repetite affirmantur de « *praeparatione Paschae* », de « *desiderio huius Paschae* », de coena « *prima die azymorum* », die « *quando immolabant Pascha* », et « in qua *necesse erat occidi Pascha* » celebrata. Ipse *ritus* coenae legalis in s. Scriptura innuitur (calix benedictionis; fractio panis; hymnus). Quibus difficultatibus non satisfit dicendo coenam vocari Pascha ob ss. Eucharistiam ibi institutam, et Christum « hoc suum Pascha » desiderio desiderasse.

Quare nil mirum, quod non solum « *pius fidelium sensus* » opinioni illi opponitur, ut aliquis ex ipsis sententiae huius defensoribus concedit (1), sed quod ex *ipsis theologis Orientis* separati iam quidam ut rem indubiam tenent Christum veram coenam paschalem celebrasse.

311. — β) *Non pari iure reici* potest eorum explicatio, qui affirmant Dominum *die 13 Nisan* coenam egisse, sed *legalem,* ritu praescripto.

(1) S. F. Smith, *Our Lord's Pasch,* 376.

Defendunt hanc sententiam praeter separatos aliquos (Theophylactum, Euthymium Zigabenum) alii quoque auctores (Arnoldus, Schanz, Mansel) et probabilem censet Sales. Ea certe 1) *consonat* cum onmibus iis, quae de coena ultima et de passione Domini *in evangelio s. Ioannis* leguntur; 2) concordat *cum traditione*, iuxta quam Salvator die 14 Nisan, qua agnus paschalis offerebatur, ipse Agnus Dei tollens peccata mundi, in sacrificium sese obtulit. *Neque* contra hanc explicationem *obici* potest 1) Christum, qui « non venit legem solvere, sed adimplere », et qui alias *omnes leges observavit,* non potuisse sic agere contra legem de tempore coenae paschalis; vel 2) *neque Iudam neque alios* inimicos Christum legis infractae *accusare.*

Nam 1) *non* est ex toto *improbabile* Christum consuetudinem *Iudaeorum extra Palaestinam viventium* a lege permissam, coenam paschalem anticipandi, secutum esse. Insuper, cum ipse esset supremus *Legislator* et omnis legis, etiam Sabbati, Dominus (Lc. 6, 5). huic legi derogare potuit, si ipse sese praecise die 14 Nisan in sacrificium offerre et nihilominus coenam paschalem ad ss. Eucharistiam instituendam celebrare vellet. Et 2) cum coena Domini ab apostolis solis praeparata esset et *secreto ageretur,* nil mirum, si de hac re Dominus ab inimicis non incusatur (1).

Immo neque 3) inde contra hanc « theoriam anticipationis » argui potest, quod die 13 Nisan *agnus paschalis in templo* adhuc occidi et immolari non potuerit. Nam probabile est potuisse ad coenam paschalem sumi agnum *in alio quoque sacrificio* (quotidiano) immolatum, ut legi, ceterum hac quoque in re a Domino dispensabili, satisfieret.

312. — *Maior* tamen *difficultas* contra opinionem hanc habetur inde, quod dies coenae 4) aperte « *prima dies azymorum* » vocatur; immo 5) dies, in qua Pascha immolabant, qua « *necesse erat* » occidi Pascha. Vix enim admittenda esse videtur explicatio « primam diem azymorum » significare *diem* « *priorem diei azymorum* ». Non enim dicitur: « τῇ πρώτῃ τῆς τῶν ἀζύμων », sed: « τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων ». Neque assentiri possumus Chwolson (cuius sententia de die coenae et mortis Christi inferius expli-

(1) Synopticos tamen data opera de tempore ultimae coenae obscure locutos esse, ne legis derogatio per Christum facta Iudaeis manifestaretur, ut censet Aberle (*Theol. Quartalschrift,* 1863, 537 ss.), admitti non potest.

canda ceterum probabilis est) dicenti apud Mt. rem ex mendo transcriptoris duas voces aramaicas plane similes confundentis explicari posse, quod *mendum* deinde a Mc. et Lc. transcriptum esset (1). Hoc enim cum inspiratione et inerrantia Mc. et Lc. hagiographorum non componitur. Ad summum igitur dici potest diem 13 Nisan « primam diem azymorum » vocatam esse, *quia vespere eius diei incipiebat dies 14 Nisan,* quae iam « dies prima azymorum » appellari consuevit. *Remanet* tamen adhuc *difficultas sub 5) posita* (« quando immolabant Pascha », « quando necesse erat occidi Pascha »), cui sat facile responderetur, si vera consuetudo illa anticipandi Pascha viguisset; difficulter autem, si Christus ipse pro se legi derogasset.

313. — *c)* Haec omnia *componuntur, si Christum Dominum die 14 Nisan, Iudaeos 15 Nisan* agnum comedisse dicamus. (Ita post Eusebium, Chrysostomum, Epiphanium: Rupertus Tuitiensis, Paulus Burgensis, Salmeron, Iansenius, Maldonatus, Estius, Petavius, Haneberg, Cornely, Grimm). Non tamen α) *ratio* festi transferendi *videtur esse* ea, ne *festum in fer. VI* incidat, et sic unum festum aliud excipiat; nam exempla adsunt indubia festorum fer. VI celebratorum (2). Probabile tamen est β) *calendarium* a Pharisaeis ordinatum anno passionis dominicae *casu vel industria a computo astronomico discrepasse.* Ita fieri potuisset Pharisaeos cum magna populi parte, et ipsum Iesum cum discipulis agnum fer. V vespere comedisse, principes vero Sadducaeos cum asseclis suis fer. VI. *Dies passionis secundum calendarium* computo astronomico *consonans* esset tamen 14 Nisan, ut fert traditio (3).

314. — *d) Probabilis* est etiam sententia (apud Russos a Chwolson l. c. proposita, cui Knabenbauer et Sales aliique adhaeserunt) *Christum Dominum die 13 Nisan, principes Iudaeorum* vero *die 14 Nisan coenam paschalem* egisse, quia agnus paschalis immolari debuit et comedi potuit iam fer. V, die 13 Nisan, *si dies 14 Nisan in feriam sextam* inciderit. Agnus enim occidendus et immolandus erat ex lege « *inter duas vesperas* », id est ad crepusculum; quo tempore fer. VI iam quies sabbatina incipiebat. Non potuit igitur agnus paschalis immolari, offerri, assari ita, ut non saltem assatio in Sabbatum iam

(1) L. c., 459 ss.
(2) Knabenbauer, o. c., 420.
(3) Cf. I. Schaumberger, l. c. 66 ss.

incipiens incidisset. Debuit igitur *mactatio et assatio transferri in diem antecedentem, manducari* autem *potuit aut fer. V aut fer. VI* (1). Et quia a multis re vera fer. V, die 13 Nisan, coena paschalis cum agno et azymis agebatur, *potuit dies illa vocari « prima dies azymorum »*, quin ad hypothesim Chwolson de mendo transcriptoris supra notatam (2) recurrendum esset.

315. — Ex dictis iam patet, quam **parum fundata** sit affirmatio Orientalium separatorum **Christum Dominum exemplo suo usum** *fermentati* in Eucharistia conficienda docuisse. Quod ut ostenderent, alii, ut supra vidimus (3), dicebant Christum fer. V *coenam* celebrasse *non paschalem* seu legalem, alii eum *in ipsa coena paschali* fer. V anticipata panem *fermentatum* adhibuisse, alii eum *ss. Eucharistiam* instituisse in fermentato, *postquam* coena legalis cum azymis iam *finita erat.*

316. — Coenam Domini *non fuisse vere paschalem* seu legalem ut *improbabile* supra exclusimus. Christum Dominum azymum adhibuisse, si coenam paschalem termino legali celebraverit, ex recentibus separatis nunc iam ipse Azari concedit (4). Putat tamen ipse cum Avgustyn (5) et aliis fermentato usum esse Dominum, si coenam anticipaverit, quia tunc azymus panis adhuc praesto non esset. Alii tamen (Bogdaševsky, Chwolson) iam concedunt Christum cum azymis coenam egisse, si vere paschalis erat.

Et re vera *coena paschalis in azymis erat celebranda* ex lege Moysis. Nulla vero probabili ratione ostendi potest Christum Dominum legem hanc non observasse. *Neque sustineri* potest *azymos* die 13 Nisan adhuc *paratos non fuisse.* Immo, illi iam ea die necessario parandi essent, si iuxta sententiam a nobis ultimo loco expositam *hac die* agnus *immolari et assari debuit* et comedi potuit. Quod ceteroquin ipsi illi theologi dissidentes confirmant, qui tanto conatu ostendere satagebant coenam Domini non fuisse legalem, vel Dominum *coena legali iam finita* in alio pane fermentato, ss. Eucharistiam instituisse.

317. — Quod ultimum tamen pariter *nulla ratione fundatur et testibus claris s. Scripturae contradicit.* Vix opus

(1) Chwolson, l. c., 464 ss.; Knabenbauer, l. c., 422 ss.
(2) Cf. n. 312.
(3) Cf. n. 57 ss.; n. 298.
(4) L. c., 34.
(5) L. c., 655.

est refutare rationes huius generis: Christum Dominum panem fregisse, intinxisse et Iudae dedisse, azymum autem frangi et dividi non posse (1); vel: institutionem sacramenti demum aliquot horas post coenam finitam factam esse, quia s. Paulus scribit (1 Cor. 11, 23) Salvatorem ss. Eucharistiam « nocte, qua tradebatur » instituisse. Item concedunt iam ex separatis multi *ex solo vocabulo* ἄρτος *nihil* deduci posse.

318. — Quodsi *opponitur nullum esse nexum* inter coenam eucharisticam N. T. et coenam legalem V. T.; immo conveniens fuisse, ut Pascha novum seorsim post vetus celebraretur, cum legalia V. T. cessassent (2), *respondetur*: immo *valde convenit*, ut sacrificium incruentum Agni Dei institueretur *in legali coena* agni paschalis, qui illius figuram gerebat; nexum autem inter utrumque sacrificium ipsa s. Scriptura talem exhibet, ut clare institutionem ss. Eucharistiae in ipsa coena paschali esse factam indicet. Lc. enim *media in enarratione* coenae scribit: « *Et accepto pane* gratias egit etc. » (Lc. 22, 19); Mt. 26. 26 ss. affirmat Eucharistiam institutam fuisse « *coenantibus illis* » (Mc. 14, 22 « *manducantibus illis* »). S. Paulus autem calicem eucharisticum « *calicem benedictionis* » vocans (1 Cor. 10, 16) ad ritum coenae legalis annuit et consecrationem eucharisticam in ipsa coena legali factam esse indicat.

Patet etiam *nullum argumentum* in contrarium fieri posse ex *Io. 13, 22*, ubi lotio pedum (« coena facta ») enarratur, quasi scilicet lotio pedum institutionem ss. Eucharistiae praecedens coena iam finita locum habuisset. In melioribus enim codicibus graecis, ubi legitur δείπνου γινομένου, et ex *comparatione ad Io. 13, 4* (« surgit a coena ») et *Io. 13, 12* (« cum recubuisset iterum ») manifestum est lotionem *inter coenandum* factam esse.

Si quis autem urgere vellet *iuxta s. Paulum* Christum calicem consecravisse « *postquam coenavit* » (μετὰ τὸ δειπνῆσαι), argumentum contra adversarios *retorqueretur*: sequeretur enim praecise panis consecrationem igitur iuxta apostolum in ipsa coena factam esse.

319. — Ex omnibus dictis patet *a*) **non posse** quidem **cum certitudine** dici, **quonam pane Christus Dominus** in

(1) Eustratius Argentis, Σύνταγμα, 55.
(2) Azari, l. c., 168.

prima coena eucharistica **usus sit,** sed *b*) **probabilius** esse eum panem **azymum** adhibuisse.

Est qui vult quasi retro argumentando *ex universali usu panis fermentati* in primis saeculis comprobare Christum in fermentato consecravisse (1). Sed *etiamsi verum esset* consuetudinem eam in prima aetate Ecclesiae obtinuisse, *non adhuc cum certitudine* concluderetur Christum Dominum in pane fermentato sacrificasse. Sed neque hoc, fermentatum scilicet in universali usu Ecclesiae olim fuisse, ulla ratione probari potest, ut statim videbitur.

### § 4. — Non potest probari usum fermentati olim universalem in Ecclesia fuisse.

320. — Omnis Orientalium argumentatio pro universali usu fermentati panis in antiqua Ecclesia **duobus falsis suppositis** fundatur, quorum inanitate monstrata iam fere omnia illa argumenta vi sua privantur. Supponunt scilicet 1) **vocem** ἄρτος significare semper panem **fermentatum**; 2) in primis saeculis in Oriente et Occidente **solum fere panem fermentatum in communi usu** fuisse, ideoque panem hunc sub vocabulo « panis usitati » esse intelligendum ubi vox haec occurrit.

Est tamen certum VOCEM ἄρτος ETIAM PRO PANE AZYMO adhiberi. Ceterum ex recentibus Orientalibus ipse AZARI, usus Latinorum tenax oppugnator, concedit (2) vocem ἄρτος per se spectatam etiam de azymo intelligi posse. Et iam HUMBERTUS in prima sua responsione ostenderat nomen hoc *in s. Scriptura* frequenter panem non fermentatum significare; non solum in V. T., ubi pro manna, panibus azymis, panibus subcinericiis, panibus propositionis adhibetur, sed etiam in N. T., ubi (Lc. 24, 30) sic panes azymi tempore paschali praescripti nominantur (3).

USUM panis AZYMI SAT FREQUENTEM fuisse in primis saeculis in imperio Romano demonstrant CIAMPINI (4), MABILLON aliique auctores de hac re data opera tractantes. Et sane azymum inter diversas species panis enumerat PLINIUS (Nat.

(1) AZARI, l. c., 169.
(2) L. c., 170.
(3) Card. HUMBERTUS, *C. Leonem Achrid.* 13 (Ml. 143, 939).
(4) O. c., 33 ss.

hist., l. 19, c. 4; l. 18, c. 11) et Archigenes; de azymi qualitatibus disserunt Hippocrates (De dieta, l. 2), et Galenus; eum commendat Celsus (De medic., l. 2, c. 18, 24. 25. 28). Immo non absque ratione Ciampini scribit (1) panem azymum ob faciliorem et simpliciorem praeparationem fuisse in communi usu apud milites et apud homines pauperes in imperio Romano.

321. — *Reiectis* his falsis *suppositionibus* iam **omni ratione destituitur affirmatio** panem *fermentatum* adhibitum fuisse **tempore apostolico** in ss. Eucharistia celebranda, de qua scribitur Act. 2, 42; 2, 46; 20, 11; et forsitan Lc. 24, 30. Immo cum iuxta Act. 2, 46 apostoli *quotidie* celebrarent, et in Iudaea *tempore paschali* nonnisi panes azymi haberentur, merito supponitur eos saltem tunc azymos adhibuisse; nam apostolos *tempore Paschae* a s. mysteriis celebrandis *abstinuisse* ab Azari (2) aliisque (3) *perperam asseritur*. Panem azymum fuisse eo tempore in sacramento adhibitum, et quidem ab ipso Christo, *positive probaretur, si constaret* « fractionem » et « benedictionem » panis a Domino tempore paschali in *Emmaus* factam (Lc. 24, 30) fuisse *sacramentalem*. Hoc tamen certum non est. Mirum tamen est solum paucos *Orientales* locum hunc de benedictione ordinaria panis ante manducationem intelligere (4); plerosque de ss. Eucharistia accipere et potius ad *explicationes sat singulares* recurrere, ut nihilominus sustineant fermentatum ibi adhibitum fuisse: vel quia Emmaus erat civitas pagana, ubi lex mosaica non vigeret (5), vel quia miro modo azymus in fermentatum mutatus sit (6), vel quia Dominus modo nobis ignoto sibi eum procuraverit (7). Notandum tamen adhuc est inter veteres Graecos fermentatum defendentes Petrum Antiochenum concessisse Ecclesiam Romanam iam tempore apostolorum in azymis celebrasse (8).

Concludere igitur licet **tempore apostolico utrumque panem,** azymum et fermentatum, pro conficiendo sacramento

(1) *Ibid.* 40.
(2) L. c., 172.
(3) V. n. 59.
(4) Ita Euth. Zigabenus, Th. Smirnov (*Trudy*, 1873, II, 511).
(5) *Confessio Metrophaniš Kritopuli* c. 9 (Kimmel, *Monumenta*, II, 116.
(6) Avgustyn, l. c., 656. Cf. Jugie, *Theologia*, 328.
(7) Azari, l. c., 171.
(8) Leib, o. c., 33.

adhibitum fuisse pro opportunitate temporis et locorum. Mirum enim etiam esset apostolos nullam legem reliquisse, si certus aliquis panis ad sacrificium eucharisticum praescriberetur.

322. — Quod **saecula** tempus apostolicum **subsequentia** attinet, imprimis dicendum est ex PATRIBUS NIHIL CERTI erui posse. Aliqui enim solum « *panem* », « ἄρτον », « *panem usitatum* » nominant; quae vox ex dictis qualemcunque speciem panis significare potest. Ita IUSTINUS: « προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον » (1); IRENAEUS: « ἄρτος προσλαμβανόμενος τὴν ἐπίκλησιν τοῦ Θεοῦ, οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστίν » (2); TERTULLIANUS: « Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit panem, non illum credit, qui dicitur? » (3); et: « Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. » (4); GREGORIUS NYSSENUS: « Ὁ ἄρτος πάλιν ἄρτος ἐστὶ τέως κοινός· ἀλλ' ὅταν αὐτὸν τὸ μυστήριον ἱερουργήσῃ, σῶμα Χριστοῦ λέγεταί τε καὶ γίνεται » (5).

323. — *Alii fermentatum aut excludunt aut approbant*, sed intelligendo *fermentum sensu metaphorico*. Ita ORIGENES ad textum Mt 16, 6 (« Cavete a fermento Pharisaeorum »): « οὕτω δὲ μήποτε ζύμη οὐ προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον· οὐ γὰρ δεῖ τὰς εὐχὰς τρόπον ἔχειν διδασκαλίας, ἀλλ' εἶναι αὐτὸ μόνον αἰτήσεις ἀγαθῶν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ » (6); AMBROSIUS ad verba Domini apud Mt 13, 3 (« Simile est regnum coelorum fermento »): « Quisquis igitur illi fermento Christi adhaeserit, efficitur et ipse fermentum tam sibi utilis quam aliis idoneus universis » (7); GREGORIUS M., exhortando ad ss. Eucharistiam digne percipiendam, provocat ad Exod 12, 8 (« azymos panes cum lactucis agrestibus edent »): « Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanae gloriae exercet... De fermentato namque laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat » (8).

(1) *Apol. I, 65* (Mg 6, 428).
(2) *Adv. haer.* IV, 18, 5 (Mg 7, 1028).
(3) *Ad uxorem* II, 5 (Ml 1, 1296).
(4) *De corona* c. 3 (Ml 2, 80).
(5) *In baptismum Christi oratio* (Mg 46, 581).
(6) *Comment. in Matth.* tom. XII, c. 6 (Mg 13, 989).
(7) *Sermo 13*, n. 3 (Ml 17, 629). Huc pertinet etiam LEONIS M., *Sermo 63*, c. 7 (Ml 54, 357), ubi monet « Pascha Domini in azymis sinceritatis et veritatis legitime celebrari » debere.
(8) *Homil. in Evang.* l. 2, hom. 22, n. 8 (Ml 76, 1179).

324. — APHRAATES quidem scribit de « *observatione azymorum* » *apud christianos* Syriae tempore paschali. « Iudaeorum Pascha hoc die decimo quarto [agitur], nocte videlicet et die iunctis; nostrum vero in die solemni passionis, qui est Parasceve, decimus quintus scilicet, nox et dies. Israel post Pascha azymum manducat per dies septem usque ad vicesimam primam mensis, nos etiam azymos observamus, solemnitatem Salvatoris nostri »(1). Sed *probabilius* hic *non de pane eucharistico* agitur, sed de consuetudine quadam christianorum hac in re Iudaeos imitantium.

S. IOANNES CHRYSOSTOMUS *in usum azymorum invehitur* azymosque « impuros » vocat, sed solum, *quatenus* illi adhibebantur *a Iudaeis* sui temporis semper adhuc Pascha vetus celebrantibus, cum lex antiqua iam cessasset. « Ταῦτα πρὸς Ἰουδαίους λέγω, ἐπειδὴ δοκοῦσι Πάσχα ποιεῖν, ἐπειδὴ γνώμῃ ἀναισχύντῳ τὰ ἄζυμα προβάλλουσι... Ὁρᾷς, πῶς ἀκάθαρτα τὰ ἄζυμα; πῶς παράνομος ἡ ἑορτή; πῶς Πάσχα οὐκ ἔστιν Ἰουδαϊκόν; Ἦν Πάσχα Ἰουδαϊκόν ποτε, ἀλλ' ἐλύθη νῦν, καὶ ἐπῆλθε τὸ πνευματικὸν Πάσχα, ὃ παρεδίδου τότε ὁ Χριστός. Ἐσθιόντων γὰρ αὐτῶν etc. » (2).

S. EPIPHANIUS Ebionitis exprobrat, quod mysteria Ecclesiae corrumpunt: « Βάπτισμα δὲ καὶ αὐτοὶ λαμβάνουσι χωρὶς ὧν καθ' ἡμέραν βαπτίζονται. Μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου » (3). Certum est s. Patrem hic *Ebionitas propterea carpere*, quod *loco vini* cum aqua mixti *solam aquam* ad Eucharistiam adhibebant et ita mysterium corrumpebant: eum tamen mysterii *corruptionem in eo* etiam *vidisse*, *quod in azymis* celebrabant, ut AZARI (4) cum aliis Orientalibus pro certo habent, *nequaquam* ex textu *elucet*. Potuit enim usus azymi ad ea pertinere, in quibus praecise Ebionitae Ecclesiae consuetudinem imitabantur (κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τελοῦσι).

325. — Praesertim cum non desint *apud Patres* ALIQUA INDICIA PANEM AZYMUM IN S. MYSTERIO ALIQUANDO ADHIBITUM fuisse. Aliqui Patres et Ecclesiae scriptores (inter quos praecise cum

(1) *Demonstr. XII, c. 9* (R. GRAFFIN, *Patrologia Syriaca*, I, Parisiis 1894, p. 256).

(2) *In prodit. Iudae hom. 1*, n. 5 (Mg 49, 379, 380). Eodem fere modo in *Homil.* 4, n. 5 (M 388).

(3) *Adv. haereses Panarium l. I, t. 2, haer. 30, n. 16* (Mg 41, 432).

(4) L c. 175.

Eusebio et Chrysostomo etiam Epiphanius) *Christum ipsum die legali* coenam paschalem celebrasse ideoque in azymo consecrasse docuerunt. De s. Ioanne Chrysostomo ipse Eustratius Argentis hoc concedere debet (1).

Et in aliquibus locis Chrysostomus *innuere videtur* Ecclesiam hac in re *Salvatorem imitari* et in azymis celebrare. Ita cum e. gr. scribat s. Paulum ideo christianis azyma commemorare, ut « Veteris Testamenti cum novo cognationem ostendat », « illa enim umbra horum erant » (2). Alibi tamen s. Doctor potius ad usum fermentati annuere videtur. Ita e. gr., ubi corpus Christi eucharisticum « massam et fermentum » (μᾶζαν καὶ ζύμην) vocat (3). Inde aliqui probabiliter concludunt tempore Chrysostomi Antiochiae utrumque panem in usu fuisse (4).

Aliquam *allusionem* ad usum azymorum in ss. Eucharistia quidam vident apud Iustinum, qui figuram panis eucharistici in panibus propositionis V. T. videt (« Καὶ ἡ τῆς σεμιδάλεως δὲ προσφορά... τύπος ἦν τοῦ ἄρτου τῆς Εὐχαριστίας ») (5).

326. — Item azymum *aliquo modo innuere* videntur ii ex Occidentalibus, qui panem eucharisticum ex *farina sola et aqua sola* confici dicunt. Ita Cyprianus: « Nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque coadunatum fuerit et copulatum et panis unius compage solidatum » (6); Augustinus: « Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant; per aquam coniuncta sunt, et post quandam contritionem. Nisi enim molatur triticum, et per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quae panis vocatur » (7). S. Isidorus, qui in epistula ad Redemptum ipsi adscripta de usu azymi in ss. Eucharistia testatur (8) in *l. I de*

(1) Σύνταγμα 47.

(2) *Homil. 15 in 1 Cor,* n. 4 (Mg 61, 125).

(3) *Hom. 24 in 1 Cor,* n. 2 (M 61, 201). Complures textus adducit Eustratius Argentis (o. c. 47 ss.), qui tamen vix non omnes ad rem non pertinent; nam solum iis enuntiatur Christum novum Pascha instituisse, vel esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et similia.

(4) A. Naegle, *Die Eucharistielehre des heil. Joh. Chrysostomus.* Freiburg in Br. 1900, pag. 121.

(5) *Dial. cum Tryphone* 41 (Mg 6, 564).

(6) *Epist. 63,* n. 13 (CV III, 2; pag. 712).

(7) *Sermo 227* (*Ad infantes de sacram.*; Ml 38, 1100).

(8) Cf. infra n. 328.

*ecclesiasticis officiis* textum epistolae s. Cypriani modo citatum ex integro transcribit (1). Verba talia eo magis panem azymum nobis indicare videntur, si consideremus *tum in V. T.* (Exod 12,34), *tum in N. T.* (1 Co. 5,7) panes non fermentatos *similiter* describi, et *auctores profanos* v. gr. Senecam eodem modo de pane azymo loqui, ut observat Ciampini (2).

327. — Itaque nisi quis falsis suppositionibus laboret (3), concedere debet ex **Patribus nulla ratione deduci posse usum fermentati** olim in Ecclesia **universalem** fuisse. Sed vice versa ex iis solis *neque positive* ostendi potest *numquam talem usum* in Ecclesia communiter obtinuisse. Alio tamen modo id cum certitudine demonstrari potest.

328. — Usum *azymi* in Occidente iam saltem inde a saec. IX viguisse nunc *communiter ab eruditis conceditur*. Iam in *epistula ad Redemptum* Isidoro Hispalensi († 637) adscripta et eidem a F. Arevalo vindicata usus hic expresse defenditur contra Orientales pro *Hispania et Ecclesia Romana*. « Quia vero Orientales Romanorum, sive nostras, consuetudines impudenter obtrectando reprehensionis abolitione impugnare nituntur, ad arma divini oraculi concurrentes nos, quantum potuerimus, easdem defendere veritate praevia insurgemus. Dominus enim noster Iesus Christus, quando discipulis corporis sui mysterium agendum tradidit, non legitur accepisse panem fermentatum, vel azymum, sed accepit panem... Legitur tamen praecepisse Dominus Moysi, ut pascha cum azymis panibus et lactucis agrestibus manducaretur... Dominus igitur noster pascha secundum legem celebravit, et in coena suum corpus sub panis et vini specie discipulis edendum tradidit et eis eumdem conficiendi tradidit potestatem, atque panem azymum, cum quo pascha agebatur obtulit » (4). In Anglia saec. VIII Beda Venerabilis († 735) expresse affirmat Christum Dominum in azymis celebrasse et sat clare indicat Ecclesiam eum in hoc imitari. « Quia videlicet et Paschae dies in azymis panibus

(1) *De eccl. officiis* l. I, c. 18, n. 5 (Ml 83, 755).

(2) O. c. 48.

(3) Talibus falsis suppositionibus certe laborat argumentatio Azari (l. c., 176), qui ex s. Gregorii *Dial. IV, 55* et ex *Vita Gregorii* a Ioanne Diacono, conscripta *II, 41* probare vult Romae usum fermentati fuisse, quia s. Gregorius sacramentum ex donis a fidelibus oblatis confecit.

(4) *Epist. 7, (ad Redemptum)*, n. 3, 4 (Ml. 83, 906).

est celebrari praescripta, et nos quasi Pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mundo transire praecipimur... Et neque aquam solam, neque vinum solum sicuti nec grani frumentum solum sine aquae admixtione et confectione in panem cuiquam licet offerre » (1).

329. — Pro Gallia et Germania usus azymi haud obscure indicatur saltem ab Alcuino († 804), qui panem eucharisticum absque fermento esse debere affirmat, et a Paschasio Radberto († cā. 860), qui hominem sacramentum percipientem pani eucharistico ex farina et aqua per ignem decocto comparat; expresse usus hic asseritur a Rabano Mauro († 856).

« Panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis, debet esse mundissimus » (2). « Haec igitur conspersio de multis granis fecit unum corpus, corpus inquam sinceritatis et veritatis, si tamen sumus azymi id est absque fermento malitiae et nequitiae... Idcirco, o homo, serva conspersionem gratiae, quia licet triticum sis, nisi doctrina et virtute Spiritus Sancti ad hanc unitatem et conspersionem fueris bene in farinam attenuatus, deinde conspersus gratia et igne caritatis decoctus non poteris, ad soliditatem fidei formari » (3). « Nec enim in sacramento aliud offerri licet, nisi quod Dominus ipse constituit, et suo exemplo nos facere docuit... Ergo panem infermentatum et vinum aqua mixtum in sacramentum corporis et sanguinis Christi sanctificari oportet » (4).

330. — Consuetudinem hanc in pane azymo celebrandi non fuisse mutationem usus olim in Occidente universalis in fermentato sacrificandi, cum certitudine demonstrari potest *a*) ex gravibus auctoritatibus, *b*) ex diversis rationibus et observationibus historicis, *c*) refutando argumenta, quibus aliqui talem universalem usum prioribus saeculis in Occidente viguisse ostendere conabantur.

331. — *a*) Iam *unanimis affirmatio* eorum scriptorum saec. XI et XII, *qui in Occidente* contra Orientalium accusasiones *pugnabant*, et qui omnes ad usum antiquum azymorum provocabant, absque ratione reici non potest. Maximum autem

(1) *Expos. in Lucam*, l. VI, c. 22 (Ml. 92, 593; 597).

(2) Alcuinus, *Epist. 90, ad fratres Lugdunenses* (Ml. 100, 289).

(3) Paschasius Radbertus, *De corpore et sangu. Christi*, c. 20, n. 3 (Ml. 120, 1332).

(4) Rabanus Maurus, *De cleric. instit.*, l. I, c. 31 (Ml. 107, 318).

pondus habent INDAGATIONES TOT VIRORUM ERUDITORUM, *qui posterioribus saeculis* in Occidente quaestionem hanc tractabant et de quibus supra diximus (1). Ex magna serie theologorum et historicorum ibi adductorum *unicus* I. SIRMOND affirmabat *fermentatum olim in Occidente in communi usu* sacramentali fuisse, rationibus nisus, quas sub *c*) refutabimus.

Omnes *alii auctores tenent* aut *usum azymi in Occidente*, saltem in Ecclesia Romana, *perpetuum fuisse*, aut potius occidentales ecclesias prioribus temporibus *promiscue in fermentato vel in azymo* consecrare consuevisse. BONA, qui in prima editione sui operis thesim I. SIRMOND sustinebat, in secunda editione promiscuum fuisse usum utriusque panis in Occidente prioribus temporibus concedit (2). Sequuntur hos auctores communiter *recentes scriptores* catholici (3); accedunt ex ipsis protestantibus S. BASNAGE, et ex separatis, praeter THEODORUM PRODROMUM iam nominatum (4), auctor operis Ἱερὰ ὁπλοθήκη et NECTARIUS (Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα. Edid. DOSITHEUS, Iassii 1682) (5), qui omnes affirmant in Ecclesia Romana iam primis saeculis azymi usum obtinuisse.

332. — *b*) DIVERSAE RATIONES re vera suadent in ecclesiis occidentalibus, praesertim Romana, inde ab initio aut solum azymum, aut potius promiscue tum azymum tum fermentatum adhibitum fuisse. Nam religio christiana propagabatur et Eucharistiae mysterium celebrabatur *apud diversissimas gentes* et in diversis regionibus, ubi *diversae species panis* adhibebantur. Qui autem inde a saeculo IX azymum ut materiam huius sacramenti defendunt, de re hac *non ut nova* et tunc demum introducta loquuntur. Et *nullum* potest adduci factum vel *decretum*, quo disciplina prius vigens *mutata* esset.

333. — RATIONES autem PRO UNIVERSALI USU FERMENTATI in ecclesiis occidentalibus, praesertim Romana, adductae NON SUSTINENTUR. Ad *tres* praecipuas reduci possunt: *a*) PHOTIUS tantopere Romanis infensus usum azymi eis NON EXPROBRABAT; *b*) Eucharistia in antiquis temporibus conficiebatur EX PANE A FIDELIBUS ASPORTATO ideoque ex fermentato; *c*) Pontifices

(1) Cf. n. 294.
(2) Cf. CIAMPINI, o. c., 83 ss.; 134 ss.
(3) Aliqua nomina vide apud NAEGLE, o. c., 121.
(4) Cf. n. 291.
(5) Cf. AVGUSTYN, l. c., 662; HERGENRÖTHER, *Azymiten*, 1779.

Romani leguntur ad ecclesias vicinas post solemnem sacrorum mysteriorum celebrationem « FERMENTUM » MITTERE CONSUEVISSE.

Sed *a*) PRIMA RATIO NIHIL VALERE POTEST, cum aliunde *positive demonstratur iam saec. IX* usum azymi in Occidente fuisse. Et sane, cum Photius *alia quoque*, in quibus Occidentales ab Orientalibus discrepabant, *non expresse oppugnaret*, silentium eius hac in re aliter explicari valet; puta quod hac in re essentialem diversitatem non videbat.

334. — *b*) Usum fuisse in Ecclesia universalem ut Eucharistia EX DONIS FIDELIUM conficeretur, *nullatenus probari potest.* Constat enim e. gr. tempore s. Ioannis Chrysostomi Antiochiae panem et vinum ab ipso clero procuratum fuisse (1). Deinde non est certum, utrum vinum et panis a fidelibus asportata pro missa ipsa, et non *potius pro « agapis »* sacrificio adnexis servierint. Tandem, quod caput est, falso supponitur panes a populo asportatos necessario fermentatos esse debuisse. *Utrumque panem* enim *in usu* fuisse quotidiano, et probabiliter praecise panem azymum pauperibus pro cibo inservivisse, supra ostensum est.

335. — *c*) Episcopos, praesertim autem Pontifices Romanos, ex sacrificio a se celebrato aliis ecclesiis « FERMENTUM » MITTERE CONSUEVISSE ex testimoniis *indubium est.*

Ita legitur e. gr. apud INNOCENTIUM I: « De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiae nostrae sint intra civitatem constitutae. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possent, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die non iudicent separatos: quod per parochias fieri non debere puto; quia longe non portanda sunt sacramenta » (2). Similia leguntur de aliis Pontificibus, e. gr. de MELCHIADE et SIRICIO; testatur de hac re etiam ANSELMUS HAVELBERGENSIS. Fermentum illud autem *fuisse Eucharistiam* ex pane fermentato confectam, *sine sufficienti ratione* affirmatur. Multo aptius cum CUSANO, BARONIO, BINIO, MACEDO, CABASSUTIO aliisque *de pane benedicto* (« *eulogiis* ») in-

(1) PROBST, *Die antiochenische Messe*, 274 ss.; NAEGLE, *Eucharistielehre*, 121 ss.

(2) INNOCENTII I, *Epistola 25, ad Decentium*, c. 5 (Ml. 20, 556, 557).

telligitur. Nam mittebatur *absque vino consecrato;* mittebatur *per acolythos* ad episcopos et sacerdotes, qui et *ipsi celebraverant;* mittebatur panis unus, qui ad communicandos omnes fideles *non sufficeret;* mittebatur denique ut *symbolum* significandae et fovendae mutuae caritatis. Quas « eulogias » dicunt praecise ex fermentato confectas fuisse, *ut a pane eucharistico distinguerentur*. Potuit autem panis hic vocari « sacramentum », quia *rei sacrae symbolum* erat, et sacerdotali benedictione sanctificatus. *Alii* quidem (Lupus, Bona etc.) « fermentum » de *Eucharistia* accipiunt, *in azymo* tamen *vel fermentato* iuxta ecclesiarum consuetudinem consecrata. Quae *fermentum* vocabatur *ob symbolicam caritatis* mutuae significationem, et ut mysterium pro non christianis absconderetur (1).

336. — **Nulla ratione** igitur evinci potest **panem fermentatum olim universaliter** fuisse adhibitum **in Occidente**; et per hoc iam thesis nostra demonstrata est, *quidquid* affirmetur DE ORIENTE. Ibi ceterum cum ARMENI tum MARONITAE in *azymis* celebrant, et tum hi tum illi se hoc ex traditione antiquissima facere affirmant; quod quidem ab aliquibus in dubium vocatum est (2); hucusque tamen, quantum scimus, a nemine positive ostensum est Armenos et Maronitas antiquitus in fermentato confecisse. IN ECCLESIA AETHIOPUM Eucharistiam fer. V hebdomadis sanctae ad exemplum Domini in azymo celebratam fuisse refert LE BRUN (3).

337. — ECCLESIAM GRAECAM inde ab antiquis temporibus semper in fermentato confecisse *affirmabant veteres polemistae Graeci* contra Latinos. Sed *primum certum testimonium* habetur demum ex saec. VI prò ecclesia Alexandrina in opere « *De Paschate disputatio* » a IOANNE PHILOPONO seu GRAMMATICO conscripto, in quo usus fermentati defenditur (4). In Ecclesiis orientalibus fermentato utentibus aliquando antistites aliarum ecclesiarum azymis utentium ad concelebrandum admissos fuisse, indirecte ab ipso MICHAELE CAERULARIO, accusante huius rei episcopum Antiochiae et Alexandriae, confirmatur. « Neque vero hoc dumtaxat relatum fuit [scil. patriarchas Antiochenum et Alexandrinum Pontificem Romanum in dip-

(1) Cf. CIAMPINI, o. c., 89 ss; 113 ss.
(2) NICEPHORUS CALLISTUS. *Hist. Eccl.*, XVIII, 54 (Mg. 147, 441 ss.).
(3) *Explication*, V, 117.
(4) A. GALLANDI. *Bibliotheca veterum Patrum*, T. XII, Venetiis 1778, 610 ss.

tychis commemorare], sed etiam quod duo memorati pontifices cum homines alios azyma comedentes recipiunt, tum ipsi quoque interdum in azymis divina celebrant mysteria » (1).

338. — Ex disputatis iam facile apparet, an iure affirmetur ab Azari (2) pro praxi Orientalium traditionem stare, vel ab Avgustyn (3) veritatem historicam esse ex parte Graecorum. Ceterum iterum notamus: *etiamsi* verum esset *consuetudinem* fermentati olim *universalem* fuisse, *non adhuc inde sequeretur fermentum iure divino praecipi vel consuetudinem talem immutabilem esse.*

**Quaestionem de qualitate panis eucharistici ad res disciplinares pertinere** hodie nemo negare potest, qui serio fontibus studuerit. *Tum azymus, tum fermentatus* ad conficiendum mysterium *idoneus* est, cum unus hanc, alius illam corporis Christi Domini sub speciebus praesentis proprietatem significet, unus hunc, alius illum effectum sacramenti ostendat. *Ad Ecclesiae magisterium* pertinet de hac re decidere *iuxta temporum et locorum opportunitates* et practicas necessitates. Hoc principium Ecclesia Romana semper, etiam tempore acerbioris ex utraque parte theologorum disputationis, firmiter tenuit; quod eius prudentiae signum non exiguum eiusque auctoritatis validum argumentum est.

## D. — QUAESTIO DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE ET DE COMMUNIONE PARVULORUM

### § 1. — De modo communicandi fideles doctrina separatorum et doctrina catholica.

339. — **Communionem** omnibus fidelibus, **etiam laicis, sub utraque specie,** panis et vini, porrigendam esse saltem *implicite* omnes libri symbolici Orientalium separatorum affirmant, *aliqui explicite* notant. Dum Metrophanes Kritopoulos solum simpliciter dicit *laicos* ss. Eucharistiam sub utraque specie *sumere* (« μετέχουσι δὲ πάντες ἑκατέρου εἴδους »), inculcat Mogilas *praeceptum* talis communionis (« debet fieri », « πρέπει νὰ γίνεται »); quod Ańthimus VI et VII expresse « *divinum* »

(1) *Ep. 3, (ad Petrum Antioch.),* n. 10 (Mg. 120, 789).
(2) L. c , 177.
(3) L. c., 670.

appellant; nam denegationem calicis pro laicis data opera inter « novitates oppositas praeceptis Salvatoris explicite in evangeliis scriptis » enumerant (1).

340. — Quae est etiam **sententia communis theologiae hodiernae** Orientis separati. Omnes enim theologi communionem sub utraque specie laicis quoque, saltem ex gravi Christi praecepto, esse necessariam defendunt. Et provocant ad IPSAM SACRAMENTI INDOLEM, AD VERBA CHRISTI ET APOSTOLI; AD EXEMPLUM CHRISTI ET APOSTOLORUM; AD UNIVERSALEM USUM Ecclesiae antiquae; ad consuetudinem olim in ipsa ECCLESIA ROMANA vigentem. Addunt adhuc usum ss. Eucharistiam *sub una specie* sumendi *ab haereticis* esse mutuatum, et Ecclesiam Romanam eum introduxisse, ut superioritatem cleri supra laicos ostenderet (2).

341. — Quod ANTIQUIORES THEOLOGOS (praeter librorum symbolicorum auctores) attinet, elucet ex historia theologiae Orientis separati usum communionis sub specie panis *non* fuisse *data opera* et speciali tractatu oppugnatum in Graecia *usque ad saeculum XVI.* Oppugnat illum expresse MELETIUS PIGAS in suo tractatu per modum epistolarum conscripto Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα (3); contra usum hunc loquuntur, non tamen valde in re immorantur theologi *Graeci et Russi* omnes, qui *saec. XVII et XVIII* de sacramentis scripserunt. Ex saec. XVIII praecipue notanda sunt DIAMANTIS RHYSII, Λατίνων θρησκείας ἔλεγχοι (4), et opus saepius iam a nobis citatum Κατὰ ἀζύμων ab EUSTRATIO ARGENTIS. Ceterum omnes aequali modo sicut theologi recentes ad *ius divinum* provocant, et *vix aliud argumentum* in medium afferunt quam quod apud modernos invenimus. Ita e. gr. EUSTRATIUS ad hoc provocat, quod *sanguis Christi* nos a peccatis *abluit* (190), et insistit rationi, quod participatione sanguinis demum *sacramentum completum* habetur (196). Praxim nostram autem παρανομίαν μεγάλην, αὐθάδειαν ἄκραν, ἱεροσολίαν (177), μιαράν, ἱερόσολον (178) vocat.

342. — **Doctrina catholica** est, **ad res disciplinae** ab auctoritate Ecclesiae determinandas pertinere, utrum Eucharistia sub una specie tantum aut sub utraque sumenda sit.

(1) Cf. n. 23 ss.
(2) Cf. n. 72 ss.
(3) Ed. N. METAXAS, Constantinopoli 1667.
(4) Amstelodami 1748.

Hae DECLARATIONES ET PRAESCRIPTIONES Ecclesiae ad rem pertinent:

CONCILIUM CONSTANTIENSE declaravit: « Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere praesumant, populum christianum debere sacrum Eucharistiae sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post coenam vel alias non ieiunum... hoc praesens Concilium sacrum generale Constantiense, in Spiritu Sancto legitime congregatum... declarat, decernit et definit [sequitur declaratio et praescriptio sacramentum non debere confici post coenam]. Et sicut haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta: quod licet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen postea a conficientibus sub utraque et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur (1); cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri: unde cum huiusmodi consuetudo ab Ecclesia et sanctis Patribus rationabiliter introducta et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tamquam haeretici arcendi sunt et graviter puniendi » (2).

Inter *interrogationes asseclis* IOANNIS WICLEFF et IOANNIS HUS propositas haec erat: « Item, utrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab Ecclesia universali observata, et per sacrum Concilium Constantiae approbata, sit servanda sic, quod non liceat eam reprobare aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum praemissorum, tam-

(1) *Alia lectio*: Et similiter, quod licet in primitiva Ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie: tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur.

(2) *Constanl*, sess. XIII, die 15 Iunii 1415. (DENZINGER 626).

quam haeretici vel sapientes haeresim, sint arcendi et puniendi » (1).

Condemnatus est deinde a Leone X error M. Lutheri: « Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret, laicos sub utraque specie communicandos; nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici » (2).

343. — Plures declarationes de hac re Tridentinum edidit. « Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata. . censuit ea, quae ad communionem sub utraque specie et parvulorum pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit, ne postea de iis aliter vel credere, vel docere, vel praedicare audeant, quam est his decretis explicatum atque definitum » (3).

« Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu Sancto... edocta, atque ipsius Ecclesiae iudicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat » (4).

« Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere: anathema sit » (5). « Praeterea declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret... Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime iam mutata illa consuetudine, gravibus et iustis causis adducta hanc consuetudinem sub al-

(1) *Interrog.* 18 (D. 668).

(2) *Error* 16 (D. 756).

(3) Sessio XXI, die 16 Iulii 1562; prooemium (Cavallera, *Thesaurus* n. 1168).

(4) Sess. XXI, cap. 1 (D. 930).

(5) Sess. XXI, can. 1 (D. 934).

tera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet » (1).

« Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse: anathema sit » (2).

« Insuper declarat, quamvis Redemptor noster... hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt » (3).

« Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur: anathema sit » (4).

344. — *Post Tridentinum nulla* quidem adest amplius *declaratio theoretica* vel condemnatio directa erroris alicuius de modo s. communionis (5), sed PRAESCRIPTIONES de hac re dantur a BENEDICTO XIV, LEONE XIII, PIO X, novo *Codice Iuris canonici*. Lex Codicis (pro Latinis) est: « Sanctissima Eucharistia sub sola panis specie praebeatur » (*Can. 852*). Permissiones autem datae sacerdotibus et fidelibus unius ritus ministrandi vel accipiendi Eucharistiam ex materia alterius ritus confecta (*Can. 855, § 2; Can 866, § 1-3*) applicantur etiam ad modum communicandi sub una vel sub utraque specie.

345. — Ex his documentis elucet Ecclesiam QUAEDAM TENENDA et credenda DECLARAVISSE, et QUAEDAM OBSERVANDA PRAECEPISSE. DECLARAVIT ET DEFINIVIT: *Christum totum* et integrum *sub una panis specie* adesse et sumi (Const., Trid.); *non*

(1) Sess. XXI, can. 2 (D. 931).
(2) Sess. XXI, cap. 2 (D. 935).
(3) Sess. XXI, cap. 3 (D. 932).
(4) Sess. XXI, can, 3 (D. 936).
(5) In *propositione damnata 32* ROSMINI (D. 1922) enim non proprie communionis sub utraque specie necessitas asserebatur, sed necessitas medii s. synaxim re percipiendi, et possibilitas communionis post mortem in statu termini.

*esse praeceptum divinum* ss. Eucharistiam sub utraque specie sumere (Trid.); *neque* hoc esse *de necessitate salutis;* et fideles sub una specie communicantes *nulla gratia necessaria* ad salutem privari (Trid.); *Ecclesiam habere potestatem* in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, quaedam statuendi et mutandi (Trid.); qua potestate usa *legem dedit* communionis *sub sola panis specie* pro laicis et clericis non celebrantibus; quae lex *non potest dici illicita* vel sacrilega (Const.); *neque* eam *licet reprobare* (Const., Trid.); *neque* dicere licet *Ecclesiam* in ea statuenda *errasse* (Trid.); Ecclesia eam *ex iustis causis* et rationibus introduxit (Const., Trid.); credendum est eam esse *servandam* (interrog. Wicleffitarum).

346. — Praecipit autem Ecclesia, ut Eucharistia a laicis et clericis non conficientibus *sub specie panis tantum suscipiatur* (Const., Trid.), iisque *praebeatur* (C. I. C.), et quidem *ex lege* (Const., Trid.); adducitque *rationes* talis legis, tum in genere (« ob graves et iustas causas », Trid.), tum in specie (ad tuendum dogma praesentiae totius et integri Christi sub una specie; Const. Trid.; « ad evitandum aliqua pericula et scandala »; Const. iuxta unam lectionem textus decreti Concilii). Est autem *lex haec ecclesiastica;* nam non solum Christus ipse apostolis sub utraque specie sacramentum tradidit (Trid.), sed mos ille in primitiva Ecclesia observabatur (Const.), vel infrequens non fuit (Trid.). Ergo *absque Ecclesiae auctoritate* hanc legem pro libito mutare non licet (Const. Trid.); eamque Ecclesia re vera mitigavit (C. I. C.).

347. — Inde iam intelligitur, *quo sensu damnata* sit *propositio 16* Lutheri, et qua *ratione Bohemi* et illi omnes, qui dicunt legem hanc non esse servandam aut eam licere reprobare vel sine Ecclesiae auctoritate pro libito mutare, sint *haeretici vel sapientes haeresim.* (Prop. 16. Lutheri damnata; Interr. 18 Wicleffitis et Hussitis posita). Consultum scilicet videbatur Luthero, quod Ecclesia in communi Concilio mutaret hanc legem, quia eam erroneam esse iudicabat; Wicleffitae et Hussitae autem *haeretici* erant, quatenus dogmaticum fundamentum huius legis negabant; haeresim *sapientes*, quatenus negabant auctoritatem Ecclesiae aliquid de hac re statuendi, postea a Tridentino definitam.

348. — Quod **communionem parvulorum** ante usum rationis attinet, ex libris symbolicis *neque* Confessio Petri Mo-

GILAE *neque* Confessio DOSITHEI necessitatem huius communionis *explicite* affirmant; vice versa tum MOGILAS (1), tum DOSITHEUS (2) salutem soli baptismo attribuunt. PHILARETI *Catechismus* solum *in genere* dicit « fideles suscipere Eucharistiam sub specie panis et vini » (3). METROPHANES KRITOPULOS autem *expresse* scribit: « Ὥσπερ βαπτίζεσθαι οὕτω καὶ τοῦ κυριακοῦ δείπνου μετέχειν[δεῖ] » (4); quod paulo antea ita explicatur de parvulis: « Ἀλλὰ δὴ καὶ αὐτὰ τὰ βρέφη ἀρξάμενα εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος μετέχει τοῦ λοιποῦ [= ποτηρίου], ὁσάκις οἱ γονεῖς βούλονται » (*quoties parentes volunt*) (5). Responsio ANTHIMI VI inter « innovationes *oppositas ad praecepta Christi* expresse in evangeliis scripta enumerat « τὰ βαπτιζόμενα βρέφη μήτε χρίεσθαι μήτε μεταλαμβάνειν τῶν ἀχράντων μυστηρίων » (6). Unicus METROPHANES *rationes quoque* adducit talis necessitatis communionis parvulorum, inter quas praecipuam verba Domini apud *Io. 6, 54* (« *Nisi... biberitis* eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis »). Ex hac ratione etiam **theologi recentiores necessitatem communionis pro parvulis** communiter comprobare student. Praeterea ad *praeceptum Christi* (*Mt. 26, 24: Bibite* ex hoc *omnes* »), ab apostolo inculcatum (*1 Cor. 11, 28:* « sic de *calice bibat* »), ad *Patres*, et ad *praxim* antiquam provocant (7).

Ex dictis apparet, *libros symbolicos non tam* huic praxi parvulos communicandi *insistere quam auctores modernos*. Ex antiquioribus theologis nullus speciali aliquo opere praxim Latinam oppugnabat, neque ii, qui de sacramentis scribebant, in hac re multum immorabantur.

349. — **Doctrina Ecclesiae catholicae** peremptorie declaratur et praxis servanda statuitur a CONCILIO TRIDENTINO. « Denique eadem sancta Synodus docet **parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate** ad sacramentalem Eucharistiae communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati (Tit. 3, 5) et Christo incorporati adeptam iam filiorum

(1) *P. I*, qu. 103 (*CO.* 58 Kimmel I, 173).
(2) *Decr. 16* (Kimmel I, 452).
(3) *P. I* (О причащеніи, qu. 7).
(4) *Cap. 9* (Kimmel II, 126).
(5) *Ibid.* 125.
(6) MANSI, t. 40, col. 383.
(7) Cf. n. 70 ss.

Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est » (1). « Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem: anathema sit » (2).

350. — Similia declarantur et praxis huic doctrinae consona statuitur in *Encyclica* Benedicti XIV ex 26 Maii 1742 « *Etsi pastoralis* » (3) et *Decreto S. Officii ex 10 Aprilis 1861* (4). Ex novo *Codice Iuris canonici* huc pertinet hic Canon: « Pueris, qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur ». (*Can. 854, § 1*). « In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est, ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare » (*§ 2*). « Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior preparatio merito requiritur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant » (*§ 3*). *Rituale Romanum* breviter praescribit: « Iis etiam, qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur » (5).

351. — Ex exposita doctrina separatorum et Ecclesiae catholicae de communione sub una vel utraque specie et de communione parvulorum apparet praecipuum discrimen doctrinae dissidentium a veritate catholica in eo esse, quod Orientales separati *usum calicis* affirment sive *ex ipsa* indole et necessitate sacramenti, sive *saltem ob* grave praeceptum

(1) Sess. XXI, cap. 4 (D. 933).

(2) Sess. XX, can. 4 (D. 937).

(3) *Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum.* Collectio Lacensis, II, 509.

(4) *Collectanea s. Congregationis de Propaganda Fide,* I. Romae 1907; p. 664. (Decretum proprie de adultis loquitur, sed ratio addita a fortiori pro infantibus valet).

(5) *Rituale Romanum,* Tit. IV, c. 1, n. 11.

Christi; *parvulos* autem communicandos esse aiunt EX GRAVI PRAECEPTO CHRISTI et OB NECESSITATEM SALUTIS procurandae. In hisce igitur doctrina catholica vindicanda est.

## § 2. — Neque communio sub utraque specie necessaria est, neque communio parvulis necessario danda est.

352. — *Nullatenus* probari potest communionem sub utraque specie **necessariam esse ex ipsa sacramenti** vel sacrae communionis **natura**, ita ut vera communio non haberetur nisi utraque specie percepta.

Communionem enim ipsi Orientales nobiscum definiunt *intimam cum Christo sub speciebus sacramentalibus unionem, qua spiritualis vita nostra nutritur et augetur.* Iamvero *totum Christum* sub una specie quoque praesentem esse theologia Orientis separati ut indubium habet. *Dicunt* tamen « aliud esse percipere totum Christum », aliud percipere « *totum mysterium* » *Eucharistiae* (1). Sed *non intelligitur, cur* ille, qui cum toto integroque Christo et quidem sacramentaliter unitur, *non percipiat totum mysterium* seu sacramentum (2). *Non* enim potest *argumentari* inde, quod communio sit *participatio sacrificii* eucharistici vel convivium sacrificale, sacrificium autem in duplici specie perficitur. Nam imprimis *non* est *fide certum ad* sacrificii *essentiam* consecrationem *utriusque speciei* absolute esse necessariam. Deinde sumptio unius speciei est iam *aliqua vera participatio* sacrificii. Tandem *frustra affirmatur essentiam communionis* eucharisticae consistere in eo, quod sit *participatio sacrificii.* Ipsi theologi separati enim distinguunt Eucharistiam ut sacramentum et ut sacrificium; et ex praxi Ecclesiarum orientalium dissidentium ss. Eucharistia asservatur, ut ab infirmis extra sacrificium missae percipi possit.

353. — *Aiunt* autem **in fontibus revelationis** doceri Eucharistiam seu communionem eucharisticam *effectum non haberi nisi sub utraque* specie sumatur. Et provocant ad ipsum

(1) EUSTRATIUS ARGENTIS, Σύνταγμα 189, 191.

(2) « *Totum sacramentum* », quatenus scilicet essentia s. communionis in perceptione unius speciei salvatur, et essentialis fructus communionis habetur. Alia quaestio est, utrum fructus s. synaxis sub duabus specibus perceptae accidentaliter maior sit quam communionis sub una specie; de qua quaestione aliquid infra.

verbum Christi apud *Io. 6, 54:* « Amen, amen dico vobis: *Nisi* manducaveritis carnem Filii hominis, et *biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam* in vobis ».

Ad quae certe *respondere non possumus* (cum quibusdam antiquioribus theologis catholicis) Christum ibi non de Eucharistia, sed *de fide,* locutum esse. Nunc enim apud omnes in comperto est saltem secundam partem sermonis Domini in c. 6 evangelii s. Ioannis descripti vere de Eucharistia agere. *Neque* licet dicere verba illa *ad solos apostolos* eorumque in sacerdotio successores dicta esse. Sermo ille enim *ad populum* dirigebatur et Christus de *omnibus hominibus* loquitur (v. 54: « vobis »; v. 52: « pro mundi vita »; v. 50 et 52: « qui manducat »). Tandem respondere non licet *particulam « et » aequivalere particulae « aut »* (Nisi manducaveritis *aut* biberitis). Hoc enim sensui obvio verborum omnino repugnat; et in ipso contextu (v. 55; v. 56) particula « et » sensu copulativo semper sumitur.

354. — Nihilominus *explicatio* textus a *separatis* supposita *nullatenus sustinetur.* In contextu sermonis enim Christus aliquoties *explicite affirmat totam essentiam communionis* eucharisticae *haberi* et *totum effectum* sacramenti conferri *in sola manducatione* panis eucharistici. « Hic est panis de coelo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur » (v. 50); « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum » (v. 52); « Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum » (v. 59). *Nisi* igitur quis impie affirmare velit *Christum* Dominum *sibi contradixisse*, verbum eius supra allatum (v. 54) cum hisce dictis *conciliandum est.*

Per se *duplici modo* sermones hi inter sese componi possent. Aut ita: Christus pluries explicite affirmat sacramentum Eucharistiae vere percipi et effectum sacramentalem totum obtineri sacramento sub sola panis specie sumpto. Si igitur dicat vitam non haberi, nisi quis bibat sanguinem eius, hoc intelligi debet *de sumptione sanguinis*, *quatenus etiam sub specie panis* simul cum corpore sanguis Christi adsit.

Vel textus ita inter se conciliari possent: Christus aperte dicit vitam non haberi, nisi quis sanguinem eius bibat. Si igitur effectum sacramentalem perceptioni Eucharistiae sub sola panis specie tribuat, hoc *de perceptione panis* eucharistici intelligen-

dum est, *prout ea ex praecepto Christi et usu antiquo in Ecclesia fieri debet*, scilicet simul *cum sumptione sanguinis* (1).

Nemo tamen non videt explicationem *primam*, quae est catholicorum, omnino *obviam et naturalem* esse, *secundam quaesitam* et sensum *obvium* verborum *offendentem*. De eo enim, qui Christum eucharisticum sub sola specie panis sumit, recte affirmare licet, quod *etiam sanguinem* Christi bibat, cum sub specie panis sanguis quoque Christi adsit. Difficulter autem dici potest, quod Eucharistiam etiam *sub specie* vini sumit ille, qui solum panem eucharisticum accipit, cum *species vini* nullo modo sub *specie panis* inveniatur. Insuper, et hoc praecipuum est, *explicatio* illa *separatorum*, proprie iam illud ut demonstratum *supponit*, *quod* praecise *demonstrandum* esset, nempe Eucharistiam sub utraque specie (ob Christi praeceptum et usum antiquum) sumendam esse.

355. — Omnino igitur *certum* est **Christum Dominum non docuisse** *essentiam communionis* non haberi et effectum eius non obtineri, seu « totum mysterium » non adesse, *nisi Eucharistia sub duabus speciebus* sumatur.

Sed *posset adhuc dici* Salvatorem verbis illis **saltem praeceptum dedisse,** ut in Ecclesia sua communio sub specie vini quoque a fidelibus omnibus percipiatur. Sed tunc *iam ad aliam rationem* venimus, qua Orientales dissidentes doctrinam et praxim suam communionis firmare student, *ex praecepto* nempe Christi.

356. – Tres sunt praecipue textus s. Scripturae, quos tale praeceptum continere affirmant: *Mt. 26, 27* (« Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes* »), cum textu parallelo *Lc. 22, 17* (« Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos » ; deinde textus *supra laudatus Io. 6, 54* (« Nisi manducaveritis etc. »); tandem *1 Cor. 11, 25, 26, 28* (« Similiter et calicem, postquam coenavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, *hoc facite, quotiescunque bibetis*, in meam commemorationem. *Quotiescunque* enim manducabitis panem hunc, et calicem *bibetis*, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat... ». « Probet autem seipsum homo, et *sic de* pane illo edat, et *de calice bibat* »).

(1) Ita fere Eustratius Argentis 102, cum aliis orthodoxis dissidentibus.

357. - *Sed* verba Christi apud *Mt. 26, 27* et *Lc. 22, 17* AD SOLOS APOSTOLOS in Coena praesentes dirigi hodie vix iam ab aliquo serio exegeta in dubium vocatur. Facile etiam *ratio* assignatur, *cur* Dominus *apostolos monuerit*, ut ex calice omnes bibant. Aut enim propterea hoc iubet Christus, quia demum *quintum*, ex iis qui in coena paschali porrigebantur, calicem consecravit; ille autem ex praescripto *bibendus non erat*, sicuti quatuor pocula praecedentia; aut potius quia alias *non unum poculum omnibus destinabatur*, sed vel suum quisque habebat, vel unum illud, ex quo omnes bibebant, pro opportunitate solebat repleri. Quod praesertim apud Lc. (« dividite inter vos ») clare exprimitur (1).

358. — Quod textum *Io. 6, 54* attinet, PARUM PROBABILE est Christum verbis illis: « *Nisi manducaveritis* etc. » PRAECEPTUM aliquod de s. communione DARE VOLUISSE. *Pluries* enim, ut paulo antea vidimus, in illo sermone *expresse affirmat* Eucharistiam *sub sola specie panis* vere percipi et plenum effectum sacramentalem habere. Ergo valde *improbabile* est in eodem sermone *praeceptum* dari de Eucharistia sub specie vini sumenda, *nulla* addita *ratione* alia (qualis esset e. gr. ut modum communionis in ultima coena imitarentur christiani; vel ut aliquo perfectiore modo sacrificio participarent) *nisi quod* sine tali perceptione Eucharistiae proprius effectus sacramenti, *vita* scilicet, *haberi non potest*.

*Si nihilominus* verba Christi *de praecepto* ab ipso dato intelligere quis velit, praeceptum hoc eo sensu intelligendum esset, qui *contextui* corresponderet. Praeciperet scilicet Dominus, sicuti supra explicavimus, ut omnes sanguinem eius biberent, *quatenus sanguis eius sub specie panis* quoque praesens sit.

359. — In textu *1 Cor. 11, 55 ss.* provocatur *primo ad verba*: « sic de pane illo edat et de *calice bibat* », quibus apostolum calicis usum omnibus praecepisse affirmant; *deinde* ad

(1) Singulares sunt responsiones separatorum ad obiectionem Christum iussisse omnes de calice bibere, non autem de pane manducare, ideoque proprie communionem sub sola vini specie praecepisse. Respondet THEODORUS ANDIDENSIS (*Brevis commentatio de divinae liturgiae symbolis ac mysteriis*, c. 25; A. MAIUS, *Nova Patrum bibliotheca*. Romae 1853. T. VI, p. 570) de pane Dominum propterea nihil dixisse, quia Iudas acceptam panis buccellam non comedit, sed abscondit, dum e calice bibit. EUSTRATIUS ARGENTIS (o. c., 177) propterea Salvatorem de solo calice locutum esse putat, quia « praevidebat praevaricationem Latinorum ».

verba: « hoc facite, *quotiescunque bibetis*, in meam *commemorationem* » et « *quotiescunque*... calicem *bibetis*, *mortem* Domini *annuntiabitis*, donec veniat », quibus Dominum omnes iussisse aiunt usque ad adventum suum *potione sanguinis* sui mortem suam *annuntiare* et sacrificium suum duplex, incruentum in coenaculo et cruentum in cruce, *commemorare*.

Sed primo PRAECEPTUM, si quod verbis illis « probet seipsum... et sic edat... et bibat » contineretur, NON DIVINUM, sed potius apostolicum esset. Deinde PRAECEPTUM ibi imponi ab apostolo de Eucharistia sub utraque specie sumenda, non solum non comprobatur, sed ex CONTEXTU POTIUS EXCLUDITUR. Nam in illo ipso textu Paulus manifeste docet *totum effectum* sacramentalem in alterutrius speciei sumptione haberi (v. 27: « Itaque quicunque *manducaverit* panem hunc, VEL *biberit* calicem Domini indigne, reus erit *corporis* ET *sanguinis* Domini »). Quare vix explicari posset eum statim praeceptum de calice sumendo adiungere. Dicendum est igitur s. Paulum *vere quidem* PRAECEPTUM aliquod hic dare aut promulgare, non tamen praeceptum communicandi sub utraque specie, sed praeceptum SESE PROBANDI vel digne praeparandi ante s. communionem. *Adhibet* autem de communione *verba* « de pane edere et de calice bibere », quia *talis modus communionis tempore apostolico in usu* erat.

*Verba* Domini « hoc *facite in meam commemorationem* » ad *solos apostolos* fuisse dicta iisque solum *potestatem dari et praeceptum, ut sacrificium eucharisticum in Ecclesia perenniter* offeratur, ipsi theologi separati alibi concedunt; ex hoc textu enim sacramentum Eucharistiae et sacrificium perenne esse comprobant (1). Ceterum non raro affirmant etiam theologi dissidentes ipsi, haud omnia, quae Christus in ultima coena in prima Eucharistiae consecratione egit, esse imitanda; ut in tractatu de pane eucharistico vidimus. « *Annuntiatio mortis* » Domini autem non fit per s. communionem, sed *per sacrificium eucharisticum*.

360. — **Nullo** igitur **modo** ostendi potest **usum calicis** laicis et clericis non celebrantibus **divinitus praecipi** (2). Inde

(1) Cf. n. 40; n. 81.

(2) Iure dubitare quis poterit, utrum praecepto divino, si quod esset, de « calice sumendo » satisfieret per communionem sub specie panis in vino consecrato intincti, qui mos apud Orientales separatos quoque passim obser-

merito concludimus AD ECCLESIAE AUCTORITATEM PERTINERE *ius determinandi*, utrum ss. Eucharistia sub una vel sub duabus speciebus sumenda sit. Ecclesiam habere potestatem determinandi quaedam in sacramentorum dispensatione ipsi Orientales dissidentes concedunt; immo hac in re falso exaggerant, docentes Ecclesiam sacramentum per se irritum auctoritate sua revalidare posse (1).

361. — Cum in quaestione de modo communionis sub una vel utraque specie manifeste de re disciplinae ecclesiasticae per se mutabilis agatur, Ecclesia potestatem disciplinae huius mutandae haberet ETIAM TUNC, SI PRIMIS SAECULIS USUS UTRIUSQUE SPECIEI OMNINO UNIVERSALIS FUISSET in Ecclesia, ut plerumque sustinent Orientales separati, et si COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE UBERIORES GRATIAS CONFERRET, quam communio sub una specie, ut putant aliqui theologi etiam catholici. Nam fatentibus ipsis Orientalibus Ecclesia *universalem disciplinam poenitentiae* olim severiorem mitigavit; et *prohibet* Ecclesia e. gr. per se *iterationem sacrificii missae* eadem die ab eo-

---

vatur. Nam cum consuetudo haec inde a VII saeculo in Occidente introduci coepisset, eam oppugnabant ii, qui calicis usum aut ex praecepto divino aut ex usu antiquo observandum esse censuerunt. Ita iam SYNODUS BRACARENSIS IV (saec. VII) usum panis intincti reprobat ut « evangelicae atque apostolicae doctrinae contrarium » (cap. 2; MANSI XI, 155); « MICROLOGUS » (saec. XI) scribit modum talem communionis non « esse authenticum » et decretis pontificum contrarium (c. 19; Ml. 151, 989); PASCHALIS II (saec. XII) consuetudinem hanc prohibet, utpote quae sit contra « dominicam traditionem » (*epist. 535, ad Pontium Cluniacensem;* Ml. 163, 442). Alii tamen usum hunc approbant, vel saltem non reprobando referunt (ERNULFUS REFFENSIS, apud I. MABILLON, *Appendix ad s. Gregorii M. opera liturgica,* c. 14; Ml. 78, 904; GUGLIELMUS DE CAMPELLIS ex XII saec., *De sacramento altaris fragmentum;* Ml. 163, 1039, 1040); vel eum « per necessitatem et per cautelam » (CONC. CLAROMONTANUM, XI, *can. 23*; MANSI, XX, 818); « non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis » (IOANNES ROTOMAGENSIS ex XII, *Liber de officiis ecclesiasticis;* Ml. 147, 37) permittunt. Sed GUGLIELMUS iam usum communionis sub sola panis specie explicite defendit. Multo magis valet dubium pro receptione communionis infirmorum, quae usque ad nostra tempora in Oriente in usu est, pro qua semel in anno in fer. V in Coena Domini panis consecratur et vino consecrato intingitur. Num infirmus post 12 menses tales « margaritas » recipiens mandatum Domini exsequatur (« bibite ex eo omnes »), merito dubitatur.

(1) Cf. quae scripserimus in *Orientalia Christiana,* vol. VI, n. 25 *(Doctrina theologiae Orientis separati de sacramento Baptismi)* pp. 35 ss.

dem sacerdote, licet repetitis sacrificiis plures gratiae fidelibus procurarentur; item ex gravibus rationibus quibusdam fidelibus usum certorum sacramentorum, ad longius quoque tempus, interdicit.

Dicendum tamen est *a*) **usum communionis sub utraque specie** antiquis temporibus fuisse quidem **ordinarium et communem** (ut innuit Tridentinum et affirmat Constantiense), ita tamen, ut **semper exceptiones** ab hoc usu fuerint; *b*) *probabilius* **fructum** communionis **sub utraque specie** perceptae **ne accidentaliter quidem maiorem** esse, quam communionis sub una specie sola.

362. — *a*) S. communionem TEMPORE PATRISTICO adultis SUB UTRAQUE SPECIE distributam fuisse *sat multis testimoniis* comprobari potest. Loquitur enim de tali modo communionis in *Oriente* iam DIDACHE (1); ex posterioribus e. gr. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS (2), BASILIUS (3), IOANNES CHRYSOSTOMUS (4), synodus DOVINENSIS Armenorum (5), synodus TRULLANA (6); in *Occidente* IUSTINUS (7), TERTULLIANUS (8), Cy-

(1) « Μηδεὶς δὲ φαγέτω μηδὲ πιέτω ἀπὸ τῆς εὐχαριστίας ὑμῶν etc. » (*Didache*, IX, 5; F. X. FUNK, *Die apostolischen Väter*$^2$, p. 5).

(2) « Εἶτα, μετὰ τὸ κοινωνῆσαί σε τοῦ σώματος Χριστοῦ, προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος » (*Catech. 23, n. 22;* Mg. 33, 1125).

(3) « Καὶ τὸ κοινωνεῖν δὲ καθ'ἑκάστην ἡμέραν, καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελές » (*Epist. 93, ad Caesar. patric.*; Mg. 32, 484).

(4) « Τραπέζης μετέσχες τοιαύτης, καὶ πάντων ὀφείλων ἡμερώτερος εἶναι καὶ τῶν ἀγγέλων ἴσος, πάντων ὠμότερος γέγονας · αἵματος ἐγεύσω Δεσποτικοῦ καὶ τὸν ἀδελφὸν οὕτως ἐπιγινώσκεις · καὶ ποίας ἄξιος εἶ συγγνώμης; » (*Hom. 27 in 1 Cor.*, n. 5; Mg. 61, 230). Alios textus vide apud NAEGLE, *Die Eucharistielehre des heil. Joh. Chrysostomus;* qui affirmat s. Doctorem usum communionis sub una specie non cognoscere (299). Similiter PROBST, *Die antiochenische Messe.*

(5) « Non debent sacerdotes ob paupertatem ecclesiarum suarum diminuere calicem communionis » (Can. 7; C. HEFELE, *Conciliengeschichte,* II, Freiburg i. Br. 1875, p. 717): « Neque debent uti vino novo pro communione fidelium » (Can. 8; *ibid.* 718).

(6) *Can. 101* (MANSI, XI, 985).

(7) « Οἱ καλούμενοι παρ'ἡμῖν διάκονοι διδόασι ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσιν » (*Apol.* I, 65; Mg. 6, 428).

(8) « Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur » (*De carnis resurr.*, 8; Ml. 2, 806; CV, XLVII, 37).

prianus (1), Ambrosius (2), Augustinus (3), Gregorius M. (4), Beda (5).

363. — Sed non *paucis testimoniis* comprobari potest exceptiones ab hac consuetudine factas fuisse, saltem pro iis qui domi aut in itinere Eucharistiam conservabant et sumebant; **pro infirmis** et **pro parvulis.** Illi enim sub specie panis sacramentum sumebant, hi sub specie vini. Usus communionis sub specie panis indicatur in antiqua *Passione s. Eudociae*, martyris Heliopoli in Phoenicia sub Traiano (98-117), ubi legitur: « Verum antequam traderet ultro se lupis agna Christi brevi mora impetrata prodeundi accurrit in sacram aedem, reseratque illic arcula, in qua divinum donum reliquiarum sancti corporis Christi servabatur, inde particulam acceptam sinu recondidit; et sic statim cum militibus abiit » (6). Testatur de usu sacramentum sub specie panis tantum saltem infirmis porrigendi Dionysius Alexandrinus (III), qui Serapionem senem moribundum adducit acclamantem: « Properate, quaeso, et me quantocius absolvite. Accerse mihi unum ex presbyteris... Puer ad presbyterum cucurrit. Iam nox erat: presbyter autem aegrotabat... exiguam [igitur] Eucharistiae partem puero tradidit, iubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret... Mox puer

(1) « Ceterum calix Domini in ecclesia semper et sititur et bibitur » (*Epist. 63, 8*; CV. III, 2, 707).

(2) « Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo: illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in aeternum. Iudaeus bibit et sitit, tu cum biberis, sitire non poteris: et illud in umbra, hoc in veritate » (*De Mysteriis*, c. 8, n. 48; Ml. 16, 405).

(3) « Unde et ipsi [infantes]... secundum ea, quae per corpus gesserunt, id est tempore, quo in corpore fuerunt... quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt... iudicantur » (*Epist. 217*, c. 5, n. 16; Ml. 33, 984, 985).

(4) « Quis exponere queat, quantae fuerit miserationis sacratissima pretiosi sanguinis effusione genus humanum redimere, et sacrosanctum vivifici corporis et sanguinis mysterium membris suis tribuere? cuius perceptione corpus suum, quod est Ecclesia, pascitur et potatur, abluitur et sanctificatur » (*In 6^um Psalm. poenit.*, n. 11; Ml. 79, 640).

(5) [Inter alia discere facias] « quam salutaris sit omni christianorum generi quotidiana dominici corporis et sanguinis perceptio, iuxta quod Ecclesiam Christi per Italiam, Galliam, Africam, Graeciam ac totum Orientem agere nosti » (*Epist. 2, ad Egbertum;* Ml. 94, 665, 666).

(6) *Passio s. Eudociae,* c. 44 (Acta SS., Martius, I, Parisiis et Romae, 1865, p.19).

buccellam intinxit et in os senis infudit. Qui ea paulatim absorpta continuo animam exhalavit » (1). Non immerito multi censent de tali consuetudine loqui TERTULLIANUM, ubi in libro suo ad uxorem scribit: « Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur? » (2).

364. — *Tempore* s. IOANNIS CHRYSOSTOMI Constantinopoli morem fuisse Eucharistiam *domi asservandi* et sumendi concludi potest ex narratione SOZOMENI, de muliere sectae Macedonianorum addicta, cui panis eucharisticus in lapidem conversus est. « Allapso igitur tempore mysteriorum... mulier id quod acceperat retinens, quasi Deum oratura caput submisit. Ancilla vero, quae ei adstabat, id quod domi attulerat, clanculum ei tradidit. Quod cum mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit » (3). S. AMBROSIUS moriens viaticum sub specie panis percepisse legitur. « [Honoratus Vercellensis] descendens obtulit sancto Domini corpus: quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens » (4). Communionem sub specie panis iam saec. V etiam pro non infirmis in Occidente non fuisse quid omnino insolitum, posset forsitan concludi ex iis, quae LEO M. narrat de hominibus Manichaeismo occulte addictis, qui ad Eucharistiam accedebant, sed eam sub sola specie panis sumebant (5). Clarius GREGORIUS TURONENSIS (VI) de episcopo Eulalium quempiam sceleris suspectum sic alloquente: « Tu vero si idoneus es, ut asseris, accede propius, et sume tibi Eucharistiae particulam atque impone ori tuo. Erit enim Deus respector conscientiae tuae. At ille accepta Eucharistia communicans abscessit » (6). Eodem saeculo VI de communione sub specie panis in urbe Constantinopolitana testatur EVAGRIUS: « Vetus est consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati corporis Christi Dei nostri magnus numerus super-

(1) Apud EUSEBIUM, *Hist. eccles.*, VI, 44 (Mg. 20, 632, 633).

(2) *Ad uxorem*, II, 5 (Ml. 1, 1296).

(3) SOZOMENUS, *Hist. eccl.*, VIII, 5 (Mg. 67, 1528, 1529). Repetitur apud NICEPHORUM CALLIXTUM, *Hist. eccl.*, XIII, 7 (Mg. 146, 953). — Ipsa narratio quidem fabulosa esse videtur, sed testimonium de modo communionis tunc Constantinopoli vigente fide dignum est.

(4) PAULINUS, *Vita s. Ambrosii*, n. 47 (Ml. 14, 43).

(5) *Sermo* 42, 5 (Ml. 54, 279, 280).

(6) *Hist. Francorum*, l. X, c. 8 (Ml. 71, 535).

fuerit, pueri impuberes ex iis, qui grammaticorum scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent » (1).

365. — Si igitur *Patres* s. communionem vel Eucharistiam aliquando vocant « *escam coelestem* » (2), « *escam, quae est panis vivus* » (3), « *corpus Christi* » (4), si loquuntur de « *susceptione corporis Domini* » vel « *corporis Christi* » (5), non debet hoc explicari solum ut brevilocutio quaedam (6), sed *allusio ad usum* Eucharistiae *sub sola specie panis* sumendae.

Inde concluditur Eucharistiam *sub specie panis* pro infirmis fuisse *asservatam*. De asservatione Eucharistiae loquitur iam Concilium Nicaenum (7), et eam commemorat s. Basilius (8).

366. — Usum communicandi parvulos sub specie vini probabiliter testatur iam s. Cyprianus narrando puellulam, quae « carnem necdum posset comedere per aetatem », calicem Domini recusasse et donum sacrum evomisse, utpote quae fuerit per idololatriam inquinata. « Faciem suam parvula instinctu divinae maiestatis avertere, os labiis obdurantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus et reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus » (9). Puellam, quae « carnem necdum posset comedere per aetatem » sub sola specie vini fuisse communicatam, inde probabiliter concluditur, quod alias iam in sumptione eucharistici panis reluctasset et vomitus secutus esset. Clare de tali usu loquitur s. Augustinus: « Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum, quem bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de nullius peccati origine venit in mortem » (10).

(1) Evagrius, *Hist. eccl.*, l. IV, c. 36 (Mg. 86, II, 2769). — Communionem sub panis specie non fuisse tantopere inauditam, saltem si sacerdos facile haberi nequibat, et pro frequente s. synaxis usu indicatur exemplis apud Duchesne, *Origines*, 249, n. 3 et P. I. Pargoire, *L'église byzantine de 527 à 847*. Paris 1905, p. 339.

(2) Rufinus, *Hist. monach.*, c. 2 (Ml. 21, 406).

(3) Ambrosius, *De mysteriis*, c. 8, n. 47 (Ml. 16, 404).

(4) *Ibid.*

(5) Hieron., *Ep. 48, 15* (Ml. 22, 505); Isidorus Hispal., *De off. eccles.*, I, 18 (Ml. 83, 755).

(6) Ita Eustratius Argentis, 195.

(7) Can. 13 (C. Hefele, *Conciliengeschichte*², I. Freiburgi. Br. 1873, p. 417).

(8) *Epist. 93, ad Caes. patrit.* (Mg. 32, 484).

(9) *De lapsis*, 25 (CV, III, 1, 255).

(10) *Opus imperf. contra Iulianum*, l. II, n. 30 (Ml. 45, 1154).

Ceterum cum usus hic *tempore postpatristico communis* in Oriente et Occidente esset (1), merito supponitur *universalem* fuisse talem modum communionis *temporibus Patrum*, etiam si nulla alia testimonia adessent quam haec duo adducta.

367. — Ceterum complures ex ipsis Orientalibus dissidentibus hanc exceptionem pro infantibus concedunt (2).

Sed ita iam conceditur usum communionis **sub utraque specie** in antiquitate **non omnino universalem** fuisse, eumque igitur neque ad essentiam s. communionis necessarium habitum fuisse, neque ut absolute a Christo praeceptum. Quare iam dicendum est Ecclesiae competere hac in re ex iustis et gravibus causis disciplinam novam introducendi ; et hoc etiam tunc, si fideles per accidens uberiore fructu sacramenti ita privarentur.

368. — *b*) Frustra tamen affirmatur communionem *sub utraque specie ex opere operato* uberiorem fructum habere quam communionem sub specie una. *Aut* enim *species sacramentales* significant tantum *effectum immediatum* sacramenti (« rem et sacramentum »), qui est corpus et sanguis Christi, *aut* etiam *effectum mediatum* (« rem tantum »), id est gratiam communionis sacramentalis significant et significando instrumentaliter causant.

*In primo casu* nullum est dubium *eundem omnino esse effectum* et fructum communionis sive sub una, sive sub duabus speciebus sumatur. Nam in utroque communionis modo cum uno eodemque Christo sub alterutra specie toto et integro eadem quoque ratione unimur.

Sed *neque tunc*, si *species* sacramentales *signa et causae instrumentales gratiae sacramentalis* esse dicantur, probari potest uberiorem fructum habere communionem sub duabus speciebus perceptam. Nam 1) *nullo certo testimonio* traditionis hoc confirmari potest ; 2) omnes concedunt *neque* gratias per s. communionem collatas *commensurari* panis et vini conversi *quantitati*, *neque* per speciem panis et per speciem vini conferri *gratias specifice diversas* (puta e. gr. per communionem sub

(1) Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, c. 4, a. 10, pag. 153 ss. — Cf. Guglielmus de Campellis, *De sacr. alt. fragmentum* (Ml. 163, 1040) ; Paschalis II, *Epist.* 535 (Ml. 163, 442) ; Robertus Paululus, *De offic. eccl.*, l. I, c. 20 (Ml. 177, 392).

(2) Ita expresse Eustratius Argentis, o. c., 167. De aliis cf. n. 73.

specie panis robur, per sumptionem calicis alacritatem spiritualem). Sed si hoc, *iam nulla exstat ratio* affirmandi plures vel *uberiores gratias* in communione utriusque speciei donari; 3) *neque* cum sufficienti ratione dicitur communio sub utraque specie *perfectius significare integram refectionem* spiritualem, quatenus refectio completa ex potu et esca consistere debeat. Nam externa perceptio specierum sacramentalium internam refectionem spiritualem per gratiam *significat solum in genere;* et talis significatio eodem modo in cibatione eucharistica sola sicuti in potatione sola vel utraque simul coniuncta habetur; 4) tandem *neque obici* potest *frustra* Eucharistiam *sub duabus speciebus institutam* esse, si omnino idem sit fructus communionis sub una et sub utraque specie perceptae. Nam duae species ad essentiam, vel saltem ad perfectionem *sacrificii eucharistici* pertinent, non autem ad essentiam vel perfectionem communionis requiruntur.

369. — Verum est Concilium Tridentinum in definitione *solum* dixisse communionem sub specie panis « *ad salutem* sufficere » (sess. XXI cap. 1), et fideles ita communicantes « *nulla gratia necessaria* ad salutem *defraudari* » (cap. 3); item communionem sub utraque specie *non esse* « *de necessitate salutis* » (can. 1). Sed inde solum concluditur Concilium *quaestionem theologicam* modo a nobis tractatam *decidere non voluisse,* non autem illud implicite docere communionem sub duabus speciebus conferre uberiores gratias, non quidem necessarias, utiles tamen ad salutem, quam communionem unius speciei.

370. — Ceterum, ut iam dictum est, *potestas Ecclesiae* disciplinam communionis mutandi *integra maneret, etiamsi* communio sub utraque specie re vera *fructuosior* esset.

Patet autem Ecclesiam nonnisi « ex gravibus et iustis causis et rationibus » (*Trid.*, sess. XXI, cap. 2; can. 2) disciplinam sacramentorum mutare. Innuit has causas Constantiense; et possunt causae et rationes, cur in Ecclesia Latina communio prius ordinarie sub utraque specie administrata nunc ex praecepto sub sola specie panis praebeatur, *ad tres reduci:* ut *dogma praesentiae realis* totius et integri Christi sub *alterutra specie* contra haereticos protegatur; ut *reverentiae* sacramenti provideatur (periculum effusionis); ut *frequens et quotidiana* communio facilitetur (difficilior asservatio sacramenti

sub specie vini, nonnullorum repugnantia, penuria vini in aliquibus regionibus).

371. — Quodsi contra hoc *obicitur* (1) *ob causas particulares* non esse abolendam *consuetudinem universalem,* iam supponitur illud, quod praecise demonstrandum est, scilicet consuetudinem illam esse iuris divini aut saltem immutabilem. Si ulterius urgetur complures ex rationibus allatis *extitisse etiam in antiqua Ecclesia,* quin tamen communio sub una specie introducta sit, easque exsistere etiam *penes catholicos ritus orientalis,* qui tamen lege ecclesiae Latinae non tenentur (2), respondendum est *magisterii authentici esse diiudicare,* ex quibus causis, quo tempore et pro qua Ecclesiae parte aliqua lex disciplinaris sit mutanda vel introducenda. Concedimus enim *communionem sub utraque specie suum symbolismum* et suas rationes habere (intimior participatio sacrificii eucharistici; usus apostolicus; praxis antiqua); MAGISTERIUM AUTHENTICUM igitur DECERNERE DEBET, utrum pro opportunitate temporum et locorum ob hasce rationes talis modus communionis sit servandus aut introducendus vel ob iustas causas supra allatas communio sub una specie praecipienda.

372. — **Ad praeceptum divinum** provocant Orientales etiam, ut **necessitatem communionis parvulorum** usum rationis non habentium sustineant; et EOSDEM TEXTUS S. SCRIPTURAE pro se invocant, quibus necessitatem communionis sub utraque specie confirmare student; scil. *Io. 6, 54; Mt. 26, 27* cum textu parallelo *Lc. 22, 17*, et *1 Cor. 11, 25 ss.;* quos omnes supra attulimus (3).

Ibidem demonstravimus *secundum et tertium* textum allatum *nullum continere praeceptum* divinum *de communione* et *de modo* communionis. *Probabiliter neque* verba Domini a *Io. 6, 54* relata *praeceptum* aliquod enuntiant. *Si* nihilominus *de praecepto* accipiuntur, *nihil* hoc ad *confirmandam opinionem separatorum* iuvat. Nam primo *sequeretur* infantulis s. communionem *sub utraque specie* esse suscipiendam, quod ipso usu antiquae Ecclesiae falsum esse demonstratur. Secundo *praeceptum* quodcunque solos *praecepti capaces* obligat, i. e. eos, qui

(1) EUSTRATIUS ARGENTIS, 191.
(2) *Ibidem.* Similiter alii auctores orthodoxi dissidentes. (Cf. n. 75).
(3) Cf. n. 70; 353; 356.

usum rationis adepti sunt, *nisi de re agatur*, *quae* ex natura sua seu *necessitate medii* necessaria sit.

373. — Sed Eucharistiam omnibus, etiam parvulis, EX IPSA INDOLE et NATURA SUA NECESSARIAM esse praecise *affirmant dissidentes* Orientis, et hoc in textu praetato *Io. 6, 54 certo enuntiari* aiunt, etiamsi verbis illis praeceptum aliquod imponi negetur.

Fatemur Latinam praxim circa communionem parvulorum Ecclesiae catholicae *vix defendi* posse, *si* Eucharistia necessaria *necessitate medii eo sensu* censeatur, *quo* sensu eam necessariam putant *Orientales* separati et etiam *aliqui theologi catholici*. Notum est controversiam esse inter catholicos theologos, aliis necessitatem medii Eucharistiae affirmantibus, aliis eam negantibus, vel potius necessitatem quandam moralem solum statuentibus (1).

374. — Sed *a*) quaecunque sit de necessitate Eucharistiae sententia, certe *non potest* affirmari susceptionem Eucharistiae IN RE AD PRIMAM GRATIAM seu iustificationem requiri, aut eam per se hanc gratiam aliquando conferre. Hoc omnes catholici concedunt. Immo in hoc proprie consentiunt etiam separati, omnes enim *principalem effectum baptismi* remissionem peccatorum et *renascentiam* seu regenerationem assignant, ut alibi vidimus (2).

*b*) Sed *neque* concedendum esse videtur GRATIAM PRIMAM per baptismum NON CONFERRI, ideoque hominem non iustificari, *nisi* Eucharistiam *suscipiat* VOTO, quod in ipsa susceptione baptismi includatur. Nam *textus s. Scripturae* (Io. 6. 54) et *ss. Patrum*, ad quos provocant Orientales (3) *non possunt* stricte

(1) Ad rem S. THOMAS, *P. III, qu. 73, a. 3; qu. 79, a. 1*, ad 1m; *qu. 80, a. 11; 4 S., d. 9, qu. 1, a. 1; 4 S., d. 12, qu. 3, a. 2;* SUAREZ, *In 3 Partem*, qu. 73, disp. 40, a. 3. Ex recentissimis disputationibus conferantur, quae in Bibliographia initio totius tractatus nostri adduximus, a NICOLUSSI, M. DE LA TAILLE, SPRINGER, LUTZ conscripta.

(2) Cf. *Doctrina theologiae Orientis separati de sacramento baptismi* (*Orientalia Christiana*, VI, 25, pag. 25).

(3) Ad exemplum adducatur s. AUGUSTINUS. « Dominum audiamus, non suspiciones coniecturasque mortalium; Dominum audiamus, inquam, non quidem de hoc sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctae mensae suae, quo nemo rite nisi baptizatus accedit: Nisi manducaveritis... An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis huius et sanguinis in se

ad *verbum sumi,* secus enim ex iis sequeretur baptismum solum ad salutem non sufficere; sed si largiore quodam modo *interpretari eos licet,* iam potest dici Scripturam et Patres docere quidem Eucharistiam *necessariam* esse ad gratiam sanctificantem, non tamen ut simpliciter obtineatur, sed ut *obtenta conservetur.* Dein *de voto* sacramenti proprie tunc solum loquimur, *ubi actus caritatis* adsit, quo quis explicite vel implicite media salutaria desiderat; infantes autem talis actus non sunt capaces. Tandem *tunc solum votum* rei alicuius *necessarium* dici potest, *si res ipsa necessaria* est, et tunc solum *effectus per votum* rei obtineri potest, *si res in se* ipsa *haberi nequit.* Sed Eucharistia ex una parte non est necessario *in re ipsa* accipienda, ut sub *a*) vidimus; ex alia parte infantibus in re dari potest et dabatur.

375. — *c*) *Necessaria* tamen videtur esse ss. Eucharistia *necessitate medii,* et quidem IN RE IPSA, *si fieri potest,* percipienda, AD CONSERVATIONEM GRATIAE sanctificantis. S. Scriptura enim et Patres *verbis absolutis* loquuntur, et *iisdem,* quibus *necessitatem baptismi* vel Ecclesiae declarant. Cum igitur ex dictis verba talia non possint intelligi de necessitate Eucharistiae ad gratiam sanctificantem primo obtinendam, saltem de necessitate eius ad gratiam conservandam intelligantur oportet. *Innuit hoc* TRIDENTINUM; unicam enim rationem internam, cur Eucharistia parvulis necessario dari non debeat, assignat, quia « adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt » (sess. XXI, cap. 4). Concluditur hoc omnino *ex indole* huius sacramenti rationem *cibi* habentis, cuius est vitam adeptam conservare; concluditur aeque *ex loco,* quem ss. Eucharistia inter sacramenta et *in tota vita christiana* habet, cuius centrum et corona est.

---

habere vitam... Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat... frustra etiam aetas maior id curat » (*De pecc. merit. et remiss.*, I, 20, n. 26, 27; Ml. 44, 123, 124). Et eadem paulisper aliis verbis postea repetit (I, 24; M. 128). Similiter loquitur in *epist. 186, ad Paulinum Nolanum,* c. 8, n. 28 (Ml. 33, 826); in *l. 2 contra duas epistolas Pelagianorum,* c. 4 (Ml. 44, 576); in *l. 1 contra Iulianum,* c. 4 (Ml. 44, 648), et pro se INNOCENTII papae auctoritatem invocat. Adduci possunt adhuc GELASIUS (*Epist. 7, ad episc. Picen.*; Ml. 59, 38) *pro Occidente*; CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Io. l. 10, cap. 2* (Mg. 74, 344) *pro Oriente*; et alii.

*d*) *Necessariam necessitate medii* ss. Eucharistiam, et quidem iterum per se re ipsa accipiendam, censemus etiam AD PERFECTIONEM VITAE *supernaturalis acquirendam et promovendam.* Hoc *ex praecedenti affirmatione* sequitur. Si enim sine Eucharistia ne conservari quidem gratia possit, eo minus sine hoc medio in ea proficiet quis. Congruit item tum *rationi cibi*, quam hoc sacramentum habet, tum *loco,* quem in *oeconomia salutis* et vita spirituali occupat.

376. — His positis facile ostenditur **praxim Ecclesiae catholicae Latinae** ex gravibus causis s. synaxim parvulis denegandi **iustam esse**, et Orientales dissidentes **immerito** ex necessitate huius sacramenti deducere **s. communionem infantulis debitam** esse.

*Non* est ipsis necessaria *ad ipsam primam gratiam* seu iustificationem obtinendam. *Neque* ipsis debetur *ad gratiam conservandam,* quia actuum humanarum et peccati incapaces « adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt ». *Neque* requiritur *ad ipsorum perfectionem,* nam ex eadem ratione modo allata *neque capaces* sunt perfectionis neque ad eam obligantur (1).

377. — Posset tamen *excipi capaces* esse parvulos *augmenti gratiae habitualis,* quod eis per s. communionem procuraretur. Sed sicuti Ecclesia ex iustis causis calicem denegare laicis potuisset, etiam si communionis sub utraque specie accidentaliter maior esset fructus, ita ex *gravibus causis* communionem parvulorum *vetare* potest, *licet* hoc modo *maiore aliquo gradu gratiae privantur*. Secus enim dicendum esset parvulos non solum communicandos esse, sed frequentissime, immo quotidie, vino eucharistico potandos, quod ipsi Orientales non observant.

Putamus utique Eucharistiam pueris necessariam esse, *postquam ad usum rationis* pervenerint. Sed quando haec ne-

(1) Disputant theologi, utrum ex praecepto divino (Mt. 5, 48: « Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est »; Mt. 22, 37: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua ») ad perfectionem tendere obligemur. Et videtur esse distinguendum inter perfectionem substantialem, in observatione mandatorum absque peccato mortali et deliberato veniali posita, quae est de praecepto, et inter perfectionem consiliorum, ad quam Dominus suaviter invitat, libertati tamen et generositati singulorum eam permittens.

cessitas urgere incipiat et quaenam debeat esse s. communionis frequentia, iterum *magisterium authenticum* determinat, quod sive universalibus declarationibus sive singulorum privata instructione et directione providere debet. Quaenam hac in re in Ecclesia catholica observanda sint, decretis Pii X et *Codice iuris canonici* determinatur (1).

378. — Stat igitur firma veritas tum **modum communionis** sive sub una sive sub duplici specie, tum praxim porrigendi aut non porrigendi s. synaxim parvulis ad res disciplinae per **auctoritatem ecclesiasticam** determinandas pertinere, quae pro opportunitate temporum et locorum variari possunt, et in quibus possunt esse « diversi mores ecclesiarum, dummodo una sit fides » (2).

## Conclusio.

379. — Theologia Orientis separati et ipsae ecclesiae a centro unitatis separatae sibi ut pretiosam haereditatem traditionis VERAM FIDEM IN SS. EUCHARISTIAM IN SUBSTANTIA conservarunt, praesertim in duas veritates fundamentales: in *realem praesentiam* Christi in sacramento, et in *sacrificium eucharisticum*; haereditatem eo pretiosiorem, quod ex sectis haereticis nomen christianum gerentibus vix ulla iam sit, quae de sacramento et sacrificio eucharistico recte sentiat.

Neque solam fidem in sacramentum et sacrificium conservarunt, sed IPSUM SACRAMENTUM ET SACRIFICIUM habent. Licet enim quidam validitatem sacramenti ab eis confecti in dubium vocaverint (3), tamen nulla apparet ratio sufficiens negandi eos valide consecrare et sacrificium offerre. *Non* enim *ex defectu* debiti *ministerii* sacerdotalis eorum consecratio invalida dici potest, cum constet potestatem ordinis etiam extra veram Ecclesiam remanere. Sed *neque ex defectu formae*. Omnes enim liturgiae Orientalium separatorum *verba dominica continent*, et

(1) Decretum « *Quam singulari* » ex 8 Aug. 1910 (CAVALLERA, *Thesaurus*, n. 1183 ss.); *C. I. C.*, can. 854, § 3-5.

(2) BRUNO ASTENSIS, *De sacrificio azymo* (Ml. 165, 1085).

(3) Cf. MIKULAŠ, qui (o. c., 134) absolute, et SZABO (o. c., 343) qui cum aliqua restrictione hoc asserunt.

theologi orientales communiter docent verba ea aliquo modo in *liturgia necessaria* esse, ut supra vidimus. Requirunt etiam theologi omnes ad sacramentum conficiendum rectam *intentionem* illud faciendi, quod Christus instituit et quod in Ecclesia perfici iussit. Verum quidem est omnes theologos Orientis separati epiclesim ad consecrationem necessariam esse censere. Nullus tamen docet eam solam sufficere; et authentice de forma Eucharistiae apud orthodoxos nihil declaratum fuit. Nisi igitur aliquis sacerdos orientalis positive intentionem eliciat se non velle per verba Christi conficere, consecratio eius valida est.

380. — Diximus Orientales separatos fidem in ss. Eucharistiam in substantia integram conservasse. Quaestiones enim *de pane eucharistico, de modo communicandi fideles et infantes disciplinares sunt.* Ecclesia et theologia orientalis considerat quidem hucusque fere communiter praxim propriam ut iure divino praescriptam; sed sperare licet fore, ut auctores orientales, si operibus scientificis, quae de hac re apud nos conscripta sunt, diligentius studuerint, veritatem ab Ecclesia catholica semper defensam agnoscant, scilicet non agi nisi de re disciplinari. Quod iam saltem de materia Eucharistiae aliqui admittunt, ut vidimus.

In quaestione de *indole et significatione epicleseos* veram eamque DOCTRINALEM DISSENSIONEM esse inter Ecclesiam catholicam et Orientales separatos nemo negare potest Sed tota dissensio et deviatio a veritate catholica *ex epiclesi non recte intellecta* provenit. Si iuxta certa documenta traditionis decursu tractatus a nobis allata vero sensu epiclesis intelligitur, iure cum HOPPE [1] et SALAVILLE [2] affirmari potest « epiclesim, nedum divisionis inter Orientales et Occidentales causa sit, unionis potius causam esse debere ». Epiclesi enim recte intellecta eadem veritas, eadem fides, quam pariter et catholici et dissidentes profitentur, exprimitur. Immo acceptata ea supplicationum epicleticarum explicatione, quam duo modo laudati auctores cum multis aliis tenent, fides communis, consecrationem scilicet Spiritui Sancto appropriari, melius ex-

(1) O. c., 334.

(2) *De cultu ss. Eucharistiae in Oriente* (*Acta I Conventus pro studiis orientalibus*. Ljubljana 1925, p. 58).

primeretur in liturgiis orientalibus quam in occidentalibus. Vice versa in explicatione alia, quam probabiliorem censuimus, fides et doctrina, expetendum scilicet esse dignum fructum communionis seu corporis mystici sanctificationem, quae in liturgiis occidentalibus, praesertim in Romana, clare et determinate exprimitur, in orientalibus quoque, licet modo magis vago, inveniretur.

Sufficit veram Ecclesiae traditionem absque ullo praeiudicio sequi, et iam nulla difficultas apparet, ut ibi, ubi est et adoratur idem corpus Christi reale, habeatur etiam unio in eodem indiviso corpore Christi mystico.

---

IMPRIMATUR. — † Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vic. Ger.

Alberto Vaccari, *direttore responsabile*.

ROMA — SCUOLA TIPOGRAFICA PIO X — VIA DEGLI ETRUSCHI 7-9

# INDEX


| | PAG. |
|---|---|
| **B. Quaestio de forma Eucharistiae** | 5 [5] |
| § 1. Notio et diversae divisiones epicleseos | 5 [5] |
| § 2. De forma ss. Eucharistiae doctrina catholica | 10 [10] |
| § 3. Doctrinae Orientalium separatorum evolutio et vicissitudines | 16 [16] |
| § 4. Sententia Orientalium separatorum de vi consecratoria epicleseos nullo solido argumento comprobari potest | 27 [27] |
| Cap. I. Epiclesis stricte dicta non est factum liturgicum universale | 28 [28] |
| Cap. II. Patres non docent consecrationem per epiclesim vel nonnisi ea prolata fieri | 41 [41] |
| Cap. III. Epiclesis etiam stricte dicta haud necessario ut postulatio consecrationis nondum factae explicanda est | 58 [58] |
| § 5. Doctrina catholica solidis argumentis comprobari potest | 77 [77] |
| Cap. I. Doctrina catholica in s. Scriptura fundatur | 77 [77] |
| Cap. II. Doctrina catholica a compluribus Patribus et aliis scriptoribus ecclesiasticae antiquitatis docetur. | 85 [85] |
| Cap. III. Doctrina catholica rationibus theologicis comprobatur | 101 [101] |
| Cap. IV. Doctrina catholica ex ipsis liturgiis orientalibus confirmatur | 106 [106] |
| **C. Quaestio de pane eucharistico** | 114 [114] |
| § 1. Doctrina separatorum et doctrina catholica | 114 [114] |
| § 2. Brevis conspectus controversiarum de pane eucharistico | 117 [117] |
| § 3. Christum exemplo suo fermentati usum docuisse nulla ratione probatur | 125 [125] |
| § 4. Non potest probari usum fermentati olim universalem in Ecclesia fuisse | 135 [135] |
| **D. Quaestio de communione sub utraque specie et de communione parvulorum** | 145 [145] |
| § 1. De modo communicandi fideles doctrina separatorum et doctrina catholica | 145 [145] |
| § 2. Neque communio sub utraque specie necessaria est, neque communio parvulis necessario danda est | 153 [153] |
| **Conclusio.** | 169 [169] |


PARS PRIOR HUIUS TRACTATUS:

I. — Bibliographia. — Doctrina theologiae Orientis separati in genere

*prodiit in* Orientalia Christiana N. 48 (Vol. XIII. — 3)
*cum hoc argumento:*

Praefatio.
Libri, articuli, documenta.
A. **Doctrina theologiae Orientis separati in genere.**
§ 1. Doctrina librorum symbolicorum.
§ 2. Doctrina omnium librorum symbolicorum brevi compendio exhibetur et cum doctrina catholica comparatur.
§ 3. Doctrina theologiae recentioris.
§ 4. Doctrina theologiae recentioris cum catholica comparatur.
Synopsis alterius partis tractatus.

## Selecta opera Praesidis Pontificii Instituti Orientalium Studiorum

R. P. D. Michaelis d'Herbigny S. I. *Episcopi tit. Iliensis*

---

**Theologica de Ecclesia.** I. *De Deo universos evocante ad sui Regni vitam* seu *de institutione Ecclesiae primaeva.* Editio tertia (novissima). Parisiis, G. Beauchesne, 1927; in-8 gr., p. xxiv-332.

— II. *De Deo Catholicam Ecclesiam organice vivificante,* seu *De hodierna Ecclesiae agnitione.* Editio tertia (novissima). Parisiis, G. Beauchesne, 1928; in-8 gr., p. 402.

**Prudens sexdecim linguarum confessarius** etiam sine ulla scientia linguarum. *Methodus optica* pro Confessione integra et Matrimonio, confessario et paenitente mutuas linguas prorsus ignorantibus (iuvantibus multis ex omni gente Confessariis); [Anglice, bohemice (slavo-tchechice), croatice, danice, franco gallice, germanice, graece (hellenica moderna), hispanice, hungarice, italice, latine, lusitano-portugallice, neerlandice (et pro Flandris), polonice, rumaenice, russice (pro Ruthenis quoque, Bulgaris et Serbis)], *Editio nona,* in-8 couronne (102 pp.), a dorso linteo flexibili eleganter religata. Paris, G. Beauchesne, 1924.

**Un Newman russe, Vladimir Soloviev (1853-1900)** *3e édition,* 1 vol. in-8 couronne (xvi-396 pp.). Paris, G. Beauchesne. (Dédié à la société philosophique de l'Université Impériale de Pétrograd). Ouvrage couronné par l'Académie française (1912).

— Traduction anglaise: London, 1918.

— Traduction croate: Zagreb, 1919.

— *L'avvenire religioso russo nel pensiero di Vladimiro Soloviev.* Prima versione italiana a cura del Sac. Antonio Angeli con introduzione speciale dell'autore. Brescia, « Morcelliana », 1928; in-16°, pp. xlvii-340.

**La Théologie du Révélé.** (Introduction générale): Ce qu'elle suppose, ce qu'elle étudie, par quels degrés. Préface de S. E. le Cardinal Mercier. 1 vol. in-8 couronne. (xii-378 pp.) Paris, G. Beauchesne, 1921.

**Theses ex universa Theologia,** in-8 (76 pp.) Bruxelles, Polleunis 1911.

**Dieu et ma raison,** (pseud. M. d'Hache) in-16 (32 pp.) 200e mille. Institut Théologique Enghien, Belgique.

**L'Anglicanisme et l'Orthodoxie gréco-slave,** in 8 (160 pp.) Paris, Bloud et Gay, 1922. (Épuisé).

**Assurons aux Russes des prêtres catholiques russes,** in-8 (32 pp.) 1920. Collection *Studia Pacis.* Paris « Études » et *Action Populaire* (17 rue de Paris. Vanves. Seine).

**La tyrannie soviétique et le malheur russe.** Paris, *Action Populaire* (même adresse) 1923.

**Paques 1926 en Russie** *du jeudi-saint (1er avril) au surlendemain de l'Ascension (15 mai).* Paris, Editions Spes, 1926.

# PUBLICATIONS DU P. G. DE JERPHANION

**A Rome, Institut Pontifical des Études Orientales**

*Le Calice d'Antioche. Les théories du Dr Eisen et la date probable du Calice.* (*Orientalia Christiana,* vol. VII.) 1926. In-8°, 175 pages, 50 figures, 24 planches.

*Bulletin d'archéologie chrétienne et byzantine.* (*Orientalia Christiana,* vol. XI-3.) 1928. In-8, 64 pages.

**A Paris, chez Geuthner, 13 rue Jacob.**

*Une nouvelle province de l'art byzantin. Les Eglises rupestres de Cappadoce.* Deux tomes in-4° (en 4 parties), trois albums in-folio. En cours de publication. Parus: t. 1er, 1e partie (LXIV-296 pages), 1er album (69 planches), 2e album (75 planches).

**A Paris, chez Barrère, 21 rue du Bac.**

*Asie Mineure. Carte du bassin moyen du Yéchil Irmaq.* 1913. Échelle: 1 : 200.000. Quatre feuilles de 76 × 56 centimètres.

**A Beyrouth, Imprimerie catholique.**

Mémoires faisant partie des *Mélanges de la Faculté Orientale de l'Université Saint-Joseph,* et parus aussi en fascicules séparés.

*Inscriptions d'Asie Mineure* (*Pont, Cappadoce, Cilicie*). 1908. 43 pages. (En collaboration avec le P. Jalabert).

*Taurus et Cappadoce.* 1911. 46 pages, 8 planches. (En collaboration avec le P. Jalabert).

*Ibora-Gazioura? Étude de géographie pontique.* 1911. 22 pages.

*Notes de géographie pontique. Kainochorion. Pédachthoë.* 1912. 10 pages, 2 planches.

*Inscriptions byzantines de la région d'Urgub en Cappadoce.* 1913. 96 pages.

*Inscriptions de Cappadoce et du Pont.* 1914-1922. 24 pages.

*Le rôle de la Syrie et de l'Asie Mineure dans la formation de l'iconographie chrétienne.* 1922. 56 pages, 7 figures, 3 planches.

*Mélanges d'archéologie anatolienne. Monuments préhelléniques, gréco-romains, byzantins et musulmans de Pont, de Cappadoce et de Galatie.* 120 planches. (A paraître incessamment.)

281.3
Sp 11

31357

SPACIL, THEOPHILUS

AUTHOR

Doctrina Theologiae Orientis Sepa-

TITLE rati de SS Eucharistia

II

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME |
| --- | --- |
| | 7-18-96B |

31357